This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

**Usage guidelines**

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.

+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.

+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.

+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

**About Google Book Search**

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at `http://books.google.com/`

**Über dieses Buch**

Dies ist ein digitales Exemplar eines Buches, das seit Generationen in den Regalen der Bibliotheken aufbewahrt wurde, bevor es von Google im Rahmen eines Projekts, mit dem die Bücher dieser Welt online verfügbar gemacht werden sollen, sorgfältig gescannt wurde.

Das Buch hat das Urheberrecht überdauert und kann nun öffentlich zugänglich gemacht werden. Ein öffentlich zugängliches Buch ist ein Buch, das niemals Urheberrechten unterlag oder bei dem die Schutzfrist des Urheberrechts abgelaufen ist. Ob ein Buch öffentlich zugänglich ist, kann von Land zu Land unterschiedlich sein. Öffentlich zugängliche Bücher sind unser Tor zur Vergangenheit und stellen ein geschichtliches, kulturelles und wissenschaftliches Vermögen dar, das häufig nur schwierig zu entdecken ist.

Gebrauchsspuren, Anmerkungen und andere Randbemerkungen, die im Originalband enthalten sind, finden sich auch in dieser Datei – eine Erinnerung an die lange Reise, die das Buch vom Verleger zu einer Bibliothek und weiter zu Ihnen hinter sich gebracht hat.

**Nutzungsrichtlinien**

Google ist stolz, mit Bibliotheken in partnerschaftlicher Zusammenarbeit öffentlich zugängliches Material zu digitalisieren und einer breiten Masse zugänglich zu machen. Öffentlich zugängliche Bücher gehören der Öffentlichkeit, und wir sind nur ihre Hüter. Nichtsdestotrotz ist diese Arbeit kostspielig. Um diese Ressource weiterhin zur Verfügung stellen zu können, haben wir Schritte unternommen, um den Missbrauch durch kommerzielle Parteien zu verhindern. Dazu gehören technische Einschränkungen für automatisierte Abfragen.

Wir bitten Sie um Einhaltung folgender Richtlinien:

+ *Nutzung der Dateien zu nichtkommerziellen Zwecken* Wir haben Google Buchsuche für Endanwender konzipiert und möchten, dass Sie diese Dateien nur für persönliche, nichtkommerzielle Zwecke verwenden.

+ *Keine automatisierten Abfragen* Senden Sie keine automatisierten Abfragen irgendwelcher Art an das Google-System. Wenn Sie Recherchen über maschinelle Übersetzung, optische Zeichenerkennung oder andere Bereiche durchführen, in denen der Zugang zu Text in großen Mengen nützlich ist, wenden Sie sich bitte an uns. Wir fördern die Nutzung des öffentlich zugänglichen Materials für diese Zwecke und können Ihnen unter Umständen helfen.

+ *Beibehaltung von Google-Markenelementen* Das "Wasserzeichen" von Google, das Sie in jeder Datei finden, ist wichtig zur Information über dieses Projekt und hilft den Anwendern weiteres Material über Google Buchsuche zu finden. Bitte entfernen Sie das Wasserzeichen nicht.

+ *Bewegen Sie sich innerhalb der Legalität* Unabhängig von Ihrem Verwendungszweck müssen Sie sich Ihrer Verantwortung bewusst sein, sicherzustellen, dass Ihre Nutzung legal ist. Gehen Sie nicht davon aus, dass ein Buch, das nach unserem Dafürhalten für Nutzer in den USA öffentlich zugänglich ist, auch für Nutzer in anderen Ländern öffentlich zugänglich ist. Ob ein Buch noch dem Urheberrecht unterliegt, ist von Land zu Land verschieden. Wir können keine Beratung leisten, ob eine bestimmte Nutzung eines bestimmten Buches gesetzlich zulässig ist. Gehen Sie nicht davon aus, dass das Erscheinen eines Buchs in Google Buchsuche bedeutet, dass es in jeder Form und überall auf der Welt verwendet werden kann. Eine Urheberrechtsverletzung kann schwerwiegende Folgen haben.

**Über Google Buchsuche**

Das Ziel von Google besteht darin, die weltweiten Informationen zu organisieren und allgemein nutzbar und zugänglich zu machen. Google Buchsuche hilft Lesern dabei, die Bücher dieser Welt zu entdecken, und unterstützt Autoren und Verleger dabei, neue Zielgruppen zu erreichen. Den gesamten Buchtext können Sie im Internet unter `http://books.google.com` durchsuchen.

Lp 10.38

SEGEBADE

—

# OBSERVATIONES GRAMMATICAE ET CRITICAE IN PETRONIUM




BOUGHT WITH
THE INCOME FROM
THE BEQUEST OF
MRS. ANNE E. P. SEVER,
OF BOSTON,
Widow of Col. James Warren Sever,
(Class of 1817,)

24 June, 1884.



# OBSERVATIONES GRAMMATICAE ET CRITICAE IN PETRONIUM.

---

**DISSERTATIO INAUGURALIS**

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE

AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS

IN

ALMA UNIVERSITATE FRIDERICIANA HALENSI

CUM VITEBERGENSI CONSOCIATA

AD

SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

RITE CAPESSENDOS

UNA CUM THESIBUS A SE PROPOSITIS

DIE III. MENS. AUG. A. MDCCCLXXX HORA X

IN PUBLICO DEFENDET

AUCTOR

**JOANNES SEGEBADE**

OLDENBURGENSIS.

---

ADVERSARII ERUNT:

ADOLPHUS SCHAUENBURG, STUD. PHIL.

RICARDUS JECHT, STUD. PHIL.

---

HALIS SAXONUM

TYPIS KARRASIANIS.

MDCCCLXXX.

Lh 16.88

JUN 24 188

HENRICO · KEILIO

VIRO · PRAESTANTISSIMO

PRAECEPTORI · DILECTISSIMO

D · D · D

AUCTOR

Suo iure Wehlius in initio perbonae dissertationis (Observatt. critt. in Petronium. Bonnae 1861.) queritur studium libri Petroniani, qui egregium ac plane unicum locum in litteris Latinis sibi vindicet, nimis neglegi et usque ad illud tempus id eo excusari poterat, quod nulla exstitit editio, quae librorum manu scriptorum satis accuratam praeberet cognitionem. sed etiam postquam Buecheleri editio a. 1862 publici iuris facta est, quae certe omnium spem superavit, res non valde mutata est. nam praeter paucos parvosque libellos, quos Huebnerus (Grundr. zu Vorles. ueb. roem. Litt. Gesch.[4] p. 140 seqq.) enumerat, perpaucis locis de Petronii libro aliquid disputatum inveni [1]). maxime autem dolendum est, quod alterum editionis Buechelerianae volumen, quo commentarium indicesque se comprehensurum esse promisit (cf. praef. p. XXXXIII), nondum editum est.

Atque id, quod dixi, Petronii studium vehementer neglegi, eo minus potest explicari, quia hic liber et propter res et propter elocutionem summi est momenti. de formatione quidem verborum uni sermoni plebeio usitata bis accuratissime disputatum est (a Ludwigio : de Petronii serm. pleb. diss. Lips. 1870 et ab A. a Guericke: de ling. vulg. reliq. apud Petron. et in inscript. parietar. Pompeian. diss. Regim. 1875), de syntaxi autem uterque pauca tantum adiecit. quare haud ineptum videtur in hanc

[1]) Praeter paucas adnotationes a Luciano Mueller, J. Vahlen et aliis editas in Fleckeiseni annal. v. 119 a. 1879 p. 629 seqq. et p. 833 seqq. A. Strelitz, p. 845 seqq. E. Rohde nonnullas protulerunt coniecturas. praeterea H. Merkens a. 1876 cenam Trimalchionis in vernaculam linguam vertit, ita tamen, ut totus libellus in unaquaque fere pagina gravissimis erroribus scateat. denique allatum inveni opusculum C. Morawski, e quo tamen, quia lingua polnica conscriptum est, fructum capere non potui.

quoque rem paulo accuratius inquirere, praesertim cum adhuc nec commentarius nec index exstet, qui ad has res satis respiciat. vastus enim editionis Burmannianae commentarius quam pauca atque quam falsa de his rebus doceat nemo nescit. qua de causa consilium cepi pauca conscribere de nonnullis syntaxis Petronianae partibus maximeque de vulgaris sermonis usu loquendi. initium quidem cepi studiorum ab observando usu quarundam particularum. sed simul nonnullae mihi occurrerunt observationes de plebeio sermone in universum, quas breviter praemittam. de aliis autem sermonis Petroniani proprietatibus, quas ego omisi, cf. imprimis disputationem Studeri in Rhein. Mus. II, 1843 p. 50 seqq. et p. 202 seqq. et dissertationes Ludwigii et A. a Guericke.

# Caput primum.

## § 1. De proverbiis et quibusdam comparandi formis.

Homines plebeios in sermonibus non minus manibus quam voce quid sentiant exprimere notissimum est. omnia enim, quae dicunt, simul vehementioribus motibus gestibusque explicant atque illustrant. sed haec maior dicendi alacritas etiam verbis ipsis diversissimo modo indicatur. popularis enim oratio *vult turbam et inconsultas aures impetu rapere, tractandam se non praebet, aufertur* (Sen. ep. 40, 4).

Ac primum quidem homines minus eruditi id maxime operam dant, ut perspicue ac dilucide loquantur. quare saepissime verba exemplis illustrare student, ideoque proverbiis et proverbialibus dictionibus sermones explicant et ornant. (cf. Schefferi dissert. de fragm. Tragur. in edit. Burm.[2] II 396). itaque mirandum non est in iis libri Petroniani partibus, quibus auctor libertinos aliosque homines rusticos loquentes facit, saepissime inveniri proverbia sententiasque communes. quae tamen hic enumerare non opus erit, praesertim cum Studerus l. c. multa collegerit, quanquam eis non pauca addi possunt. haec tanta proverbiorum copia etiam in aliis scriptis invenitur, in quibus cotidianus vel vulgaris dicendi usus adhibetur, velut apud poetas comicos et in Varronis satiris Menippeis (cf. quae Buechelerus collegit in minore edit. Petron. a. 1871 p. 239) et in Senecae Apocolocynthosi (l. c. p. 242). sunt enim proverbia, ut Beckius (in libro suo accurato quidem, sed nimis verboso: The age of Petronius Arbiter. Cambridge 1856 p. 131) recte dicit, *the vehicles of popular feeling, experience and wisdom.*

Sed omissis proverbiis aliis quoque locis homines rustici non contenti sunt omnia definite proprieque appellare, sed plerumque comparationibus, quae in omnium usu ideoque omnibus notae sunt, et formulis quibusdam res ipsas pluribus verbis explicantibus narrationes illustrant. qui tamen usus a ratione eorum, qui nimia arte scribere solebant (ut Apuleius, quocum Petronius saepe perperam comparatus est), prorsus alienus est. nam vulgaris sermonis ornamenta semper ab humillima quaque re deprompta sunt.

Et comparationum quidem variae sunt formae. ubi duae res vel personae inter se comparandae sunt, longe saepissime Petronius utitur particula *tanquam*. quoniam Studerus (p. 83) paucos tantum locos collegit, aptissimum videtur ex iis partibus, in quibus homines rustici vulgari sermone colloquuntur, omnia adscribere. cf. c. 39: *orbis vertitur tanquam mola* et *terra omnia bona in se habet t. favus*, c. 41: *revertitur t. libertus*, c. 43: *crevit t. favus*, c. 76: *crescebat t. favus*, c. 43: *niger t. corvus*, c. 44: *vox crescebat t. tuba* et *colonia retroversus crescit t. coda vituli* et *nomina reddere t. unus de nobis* et *udi t. mures*, c. 51: *collisa erat t. vasum aeneum*, c. 57: *stupes t. hircus in ervilia*, c. 58: *satagis t. mus in matella*, c. 62: *fortis t. Orcus* et *stabam t. mortuus* et *fugi t. copo compilatus* et *iacebat miles in lecto t. bovis*, c. 71: *ut sic me amet t. mortuum*, c. 72: *calet t. furnus*, c. 74: *inflat se t. rana*, c. 78: *spero futurum ut aeque me mortuum iuvet t. vivum.*[2])

Omnibus his locis duo singula nomina ita in comparationem vocantur, ut idem de eis praedicetur. plane ergo *tanquam* respondet nostro wie. sed etiam ubi duae enuntiationes inter se comparantur, simplex *tanquam* ponitur, pro quo apud alios scriptores plerumque invenitur *tanquam si*. ita c. 52: *tanquam ego tibi molestus sim*, c. 62: *luna lucebat t. meridie.*[3]) etiam in aliis libri Petroniani partibus *tanquam* saepissime invenitur utroque quem notavi modo usurpatum (cf. Schefferi adn. ad c. 106 p. 635 Burm.). uno loco etiam *sicut* pari modo usur-

---

[2]) Ubi fortasse legendum est: *tanquam vinum vivum*.

[3]) Quomodo intellegendum sit *tanquam* c. 63 (ed. Buech. a. 1862 p. 74, 5), 63 (75, 6), 76 (90, 13) certo diiudicari nequit.

patur, c. 68: *sicut Venus spectat,* itemque *quasi* c. 39: *terra corrotundata quasi ovum* et fragm. 34, 1: *uxor legitimus debet quasi census amari.* [4])

Alia comparandi ratio non videtur nisi ab hominibus minus cultis usurpata fuisse. nam si quis cum aliquo, vel homine vel bestia vel re comparandus est, dicitur non is esse, qui re vera est, sed id, quocum comparatur. ita c. 38: *phantasia, non homo,* c. 43: *discordia, non homo,* c. 44: *piper, non homo,* c. 58: *mufrius, non magister,* c. 74: *codex, non mulier,* c. 134: *lorum in aqua, non inguina.* nonnullos ex aliis scriptoribus locos congessit R. Ellis ad Catull. 115, 8, quibus addi possunt: Apul. met. VIII 25, Ammian. Marcell. XVII 11, 1, Cic. in Pis. apud Serv. ad Verg. Aen. VIII 139; Cic. ad Att. VII 13, 6.

Atque haec hactenus de comparationibus. nec minus saepe plebei in colloquendo imaginibus et translationibus utuntur, ac maxime quidem in quibusdam certis formulis. quas cum Studerus (p. 84) accuratissime collegerit, repetere non opus est. unum tamen adnotare liceat. multae enim harum formularum ita compositae sunt, ut plura verba ab eadem littera incipiant. ita nonnunquam oritur allitteratio quam vocamus. notissimum est hanc formam inde ab antiquissimis temporibus apud scriptores Romanos inveniri, ita tamen, ut posteriore aetate magis magisque evanescat. (cf. imprimis Naekium in Rhein. Mus. III 1829 p. 324 seqq. Maehlyum in N. schweizer. Mus. a. 1864 p. 207 seqq. E. Loch: de usu allitt. apud poet. lat. diss. Regim. 1865.) erat autem uni sermoni cotidiano familiaris, ab oratione sollemni fere omnino aliena. ita in Varronis satiris Menippeis saepissime invenitur, non solum in proverbiis, quae titulorum loco satiris superscripta sunt, sed etiam in ipsis satirarum verbis. tum etiam in carmine Publilii Syri, quod Trimalchio c. 55 laudat, in unoquoque fere versu itemque in omnibus comicorum latinorum fragmentis saepissime invenitur. e Petronii libro haec afferre satis erit, quanquam non semper diiudicare ausim, utrum consulto scriptor hunc sonorum concentum petiverit necne: c. 34:

---

[4]) Indicabo fragmenta sicut in edit. Buech. a. 1862 in ordinem redacta sunt, quanquam multa Bucchelero iure ita suspecta erant, ut in edit. recentiore a. 1871 aliquot prorsus omitteret.

*vita vinum est*, c. 37: *nec quid nec quare* et *sicca sobria*,[5]) c. 42: *minoris quam muscae* et *mulier milvinum genus*, c. 43: *parram pilare* et *cui datum est non cui destinatum*, c. 57: *nec mu nec ma*,[6]) c. 58: *caepa cirrata* et *corvorum cibaria* et *terrae tuber* et *mus in matella* et *mufrius non magister*, c. 62: *copo compilatus*, c. 63, ubi Trimalchio strigarum stridorem imitatur: *subito strigae stridere* (quod verbum Jacobsius rectissime addidit) *coeperunt*, c. 76: *factum, non fabula* et *ab acia et acu*.

## § 2. De pleonasmis et ellipsibus.

Et pleonasmus et ellipsis plerumque inveniuntur in oratione concitata. nam is, qui maiore ardore loquitur, semper id unum spectat, quod gravissimum est ideoque operam dat, ut hoc quam dilucidissime indicet. quo fit, ut saepius vel unum vocabulum bis ponat vel totam enuntiationem paulo immutatam repetat. eadem autem de causa ea, quae levioris momenti inter duas res intercedunt, sive sententia tota sive verbum vel coniunctio, omittuntur. quoniam autem, ut iam supra dixi, de plebe homines multo acrius ac vehementius loqui solent, saepe fit, ut ad augendam verborum vim hoc liberiore usu dicendi utantur. ac primum quidem unum verbum saepius bis ponitur, qui usus etiam apud alios scriptores, ubi sermo est paulo concitatior, invenitur (cf. quae Heinsius affert in edit. Burm. p. 257), sed apud nullum tam saepe quam apud Petronium. notavi autem c. 29: *cave, cave canem* (Buechelerus unum *cave* eiecit, fortasse recte, quanquam ne insolita quidem imperativi iteratio a Trimalchionis ingenio aliena est), c. 37 et 42 et 46: *modo, modo*, c. 45: *Glyco, Glyco*, c. 49: *quid? quid?* et *voca, voca*, c. 72: *vero, vero*. etiam interiectiones saepius repetuntur, velut c. 37: *babae, babae*, c. 42 et 44 et 64: *heu, heu*, c. 67: *au, au*. — eandem ob causam pro simplici enuntiatione saepe ponitur exclamatio. cf. c. 34: *quam totus homuncio nil est!*, c. 38: *sed liberti scelerati, qui omnia ad se*

[5]) Haec verba ad unam notionem coniungere solitos esse veteres docent exempla a Goesio ad h. l. allata in edit. Burm. p. 217.

[6]) Cf. Charis. inst. gramm. II p. 240, 3, 8, 28 Keil. Lucil. fr. ed. Lachm. v. 1138.

*fecerunt!*, c. 44: *quam benignus resalutare!* alia (cf. etiam quae de hoc usu disserit Woelfflinus in Philol. XXXIV 1876 p. 139).

Ut oratio magis dilucida fiat, saepe idem verbum mutata forma in una sententia bis ponitur. quae neglegentia certe alienissima est a sollemni loquendi usu et ab artificioso illo ludo, quo Apuleius in libris suis uti solet (cf. Kretschmanni diligentissimam ac sagacissimam diss. de latinitate L. Apulei. Regim. 1865 p. 15). ita legimus c. 38: *in imo imus recumbit*, c. 39 et 57 et 74: *homo inter homines*, c. 43 et 44: *amicus amico*, c. 37: *nummorum nummos*, c. 45: *mortuus pro mortuo*, c. 37: *quem amat, amat, quem non amat, non amat*, c. 43: *itaque crevit, quidquid crevit* et *longe fugit, quisquis suos fugit*, c. 46: *tu, qui potes loqui, non loquere* et *quidquid discis, tibi discis*, c. 77: *assem habeas, assem valeas, habes habeberis.*

Similis pleonasmus etiam in aliis loquendi rationibus reperitur. primum enim plures negationes inter se coniunguntur, ita tamen, ut vis negativa non tollatur, verum e more sermonis Graeci augeatur. ita habemus c. 42: *neminem nihil boni facere oportet*, c. 58: *nec sursum nec deorsum non cresco*, c. 76: *nemini nihil satis est.*[7]) hic usus, quo complures negationes ad augendam vim copulantur, familiari sermoni proprius fuit, nam etiam apud Plautum, Terentium, Apuleium alios haud raro invenitur (cf. quae collegerunt Handius: Tursell. IV 110 seqq. Kuehnerus: Ausfuehrl. Gramm. d. lat. Spr. II § 149, 8 n. 8. Draegerus: Histor. Synt. § 318, 3. Ritschelius: opusc. II 335. Brixius ad Plaut. Men. v. 371. Beckius p. 117. A. a Guericke p. 59).

Tum etiam duae particulae coniunguntur, quae idem vel fere idem significant, ut c. 51: *quia enim*, c. 50 et 63: *quia scilicet*, c. 15 e coniectura Buecheleri: *quod . . scilicet; et etiam, et quoque* multis locis, de quo infra agemus. sed hoc etiam in aliis huius libri partibus et apud alios scriptores, imprimis apud comicos haud raro invenitur. cf. *nihilominus tamen* c. 108 (cf. etiam Ludwig. p. 39. A. a Guericke p. 59. Lorenz. ad Plauti Most. v. 1023. Hildebr. ad Apul. met. I 5 p. 30 et

[7]) In cod. etiam c. 58 legitur: *nisi dominum tuum in rutae folium non coniecero.* sed hoc loco iam Buechelerus recte *non* eiecit.

IX 11 p. 776. Kretschmann. p. 101 seqq. Koziol: der Stil des Apuleius p. 145. Kuehnast.: Livian. Synt. p. 273 seqq. Kuehner. II § 242, 7).

Saepe pronomina personalia prorsus supervacuo adduntur. nonnullis locis videntur enclitice, ut ita dicam, addita esse ad augendam vim praecedentis verbi et ad gratum quendam totius enuntiati numerum efficiendum. ita, ut pauca afferam exempla, legimus c. 74: *scis tu me non mentiri*, c. 48: *narra tu mihi*, c. 78: *vide tu, ne ista mures tangant*, c. 62: *nactus ego occasionem* et in ceteris libri partibus c. 9: *perturbatus ego*, c. 25: *obstupui ego*, c. 41: *damnavi ego stuporem meum*, c. 82: *quid tu, inquit, commilito, ex qua legione es?*, c. 92: *interrogo ego*. — etiam pronomina possessiva saepius abundanter adduntur. cf. A. a Guericke p. 53. Kretschmann. p. 88.

Denique huc pertinent nonnullae sententiae, ut c. 63: *redimus iterum ad officium* aliae.

Saepissime deinde aut singula sententiae verba (ut *esse*) aut partes sententiarum aut sententiae totae omittuntur, ita ut ab altera re ad alteram transeatur omissis quae intercedunt. sed de hac re uberius infra dicemus, ubi de asyndeto et de quibusdam particulis agemus.

### § 3. De asseverandi quibusdam formulis.

Sermoni familiari usitatissimae sunt certae quaedam affirmandi formulae, quibus saepius res etiam levissimi momenti asseverantur. qua de causa saepissime inveniuntur apud poetas comicos nec raro in inscriptionibus. hunc usum esse rudioris ingenii iam veteres observasse docet Theophrastus charact. c. VI p. 128, 12 seqq. ed. Petersen. *ἡ δὲ ἀπόνοιά ἐστιν ὑπομονὴ αἰσχρῶν ἔργων καὶ λόγων, ὁ δὲ ἀπονενοημένος τοιοῦτός τις, οἷος ὀμόσαι ταχύ* e. q. s. ceterum pleraque, quae Theophrastus collegit signa diversorum characterum, in personis Petronianis reperimus. ac saepissime quidem in Petronii libro invenimus additum *mehercules*. cf. c. 33 (35, 6), 38 (42, 5), 43 (47, 8), 63 (74, 20), 65 (78, 8), 69 (81, 22), 95 (115, 2), 107 (129, 19). saepius etiam negativam invenimus formam *non mehercules*. cf. c. 37 (40, 9), 43 (48, 6), 44 (48, 11), 45 (50, 10), 49 (56, 12 et 22), 57 (66, 15), 61 (72, 22), 76 (90, 12),

117 (149, 1) et *nec mehercules* c. 38 (42, 5).[7]) tribus deinde locis notavi asseverationis formulam *medius fidius*. Charisius (p. 198, 17 Keil.) de hoc verbo docet: „edio fidio, per Jovem vel fidem filiumve Jovis Herculem. quae iuratio propria virorum est, ut feminarum *edepol, ecastor, eiuno*". sed Petronius personas libri sui etiam in hoc usu a sermone urbano abhorrentes facit, bis enim *medius fidius* a muliere usurpatur, c. 17 Quartilla meretrix dicit: *misereor medius fidius vestri* et c. 129 Circe Encolpio scribit: *medius fidius iam peristi.* semel vir ita loquitur, c. 104: *ergo illi qui*[8]) *sunt, qui nocte ad lunam radebantur pessimo medius fidius exemplo?*

Aliis locis usurpantur notae illae formulae ab *ita* vel *sic* incipientes sequente vel *ut* vel imperativo aliquo. cf. c. 44: *ita meos fruniscar, ut puto*, c. 57: *ita tutelam huius loci habeam propitiam, ut duxissem*, c. 58: *ita satur pane fiam, ut dono* et *ita lucrum faciam et ita bene moriar, ut iuret* (ita cum Jahnio legendum videtur), c. 70: *ita crescam patrimonio, ut fecit*, c. 74: *ita genium meum propitium habeam, curabo;* c. 61: *oro te, sic me felicem videas, narra*, c. 69: *sic me salvum habeatis, ut solebam*, c. 72: *sic vos felices videam, coniciamus*, c. 75: *rogo, sic peculium tuum fruniscaris, inspue.* paulo aliae asseverandi formulae inveniuntur c. 58: *nec sursum nec deorsum non cresco* et *aut ego non me novi aut*, c. 61: *omne me lucrum transeat*, c. 62: *ut mentiar, nullius patrimonium tanti facio.*

Saepius denique, si quis vehementissime aliquid affirmare studet, genium invocat. notissimum enim est unicuique homini, posterioribus quidem temporibus etiam locis, genios a veteribus attributos fuisse. quare inde ab Augusti aetate, ut videtur,

---

[7]) Duobus locis invenitur forma *hercule*, c. 10 (12, 17: *multo me turpior es tu hercule*) et c. 114 (144, 9: *itaque hercules postquam manifesta convaluit, Lichas . . porrigit*). posterior locus certe corruptus est et *hercules* eo magis in dubium vocatur, quod *mehercules* semper ibi tantum legitur, ubi Encolpius verba alius cuiusdam refert. c. 10 facillimam Buecheleri mutationem probaverim: *multo mehercules turpior es tu*, ita ut forma *hercules* Petronio certe prorsus abiudicanda sit.

[8]) Illud *qui* quid sibi velit non video. editores et interpretes tacent, ac si omnia plana essent. fortasse errore ex posteriore *qui* natum et eiciendum est. plane medius fidius interrogatus est!

mos exstitit obsecrandi ac rogandi per genios aliorum hominum, primum fortasse imperatorum, deinde etiam aliorum, quos ceteri pluris aestimabant ac venerabantur. ita Tibullus (IV 5, 8) Cerinthum puerum per genium implorat ac parasiti dominum saepissime *genium* appellant. sed hic mos mox ab hominibus magis eruditis neglectus et apud rusticos tantum usitatus videtur fuisse. nam Petronius libertinos tantum per genium implorantes atque obtestantes facit, ut c. 62: *genios vestros iratos habeam*, c. 74: *ita genium meum propitium habeam*, c. 37: *ignoscet mihi genius tuus*, c. 75 Scintilla Trimalchionem *per genium eius Gaium appellando rogare coepit.* etiam aliis locis, quibus genius alicuius commemoratur, et non quidem a deierantibus aut rogantibus, semper fit ab hominibus minus eruditis. ita c. 21 dicit Quartilla meretrix: *etiam dormire vobis in mente est, cum sciatis Priapi genio pervigilium deberi?*, c. 53 Trimalchionis actuarius recitat: *Mithridates servus in crucem actus est, quia Gai nostri genio maledixerat*, c. 57 Hermeros libertus genio domini gratias agit. etiam aliorum scriptorum loci, quotcunque inveni, ab hac observatione non videntur abhorrere. ita, ut pauca afferam exempla, Caligula *multos honesti ordinis condemnavit, quod nunquam per genium suum deierassent* (Suet. Cal. 27), Seneca (ep. 12, 2) villicum per genium domini iurantem facit, apud Iuvenalem (II 98) minister iurat *per Junonem* domini. etiam lex in Ulpiani dig. XII 2, 13, 6 (*si quis iuraverit in re pecuniaria per genium principis dare se non oportere et peieraverit . . imperator noster cum patre rescripsit fustibus eum castigandum dimittere*) certe non ad homines *honesti* sed inferioris ordinis spectat. alios locos omitto.

### § 4. De quibusdam verbis singulari modo usurpatis.

Pauca iam addam de nonnullorum singularium verborum usu, qui Petronii proprius est, sed in omnibus libri partibus, non tantum in iis, quae rusticum sermonem prae se ferunt, invenitur. sed id repeto minime mihi in animo esse omnia enumerare, quae in structura sententiarum ab usu optimorum scriptorum abhorrent, quoniam Studerus, Ludwigius, A. a Guericke de multis partibus satis iam quaesiverunt. pauca

tantum liceat mihi hoc loco breviter attingere, quae a viris doctis nondum satis accurate observata videntur.

Ac primum quidem pauca de formula *ad summam*, quam in libro Petroniano saepius inveniri, quam apud ceteros auctores iam dudum intellectum est (cf. Studer. p. 87. Buechel.: symb. philol. Bonn. p. 61). haec formula in sermonibus libertinorum decies, in ceteris libri partibus quinquies legitur, sed semper iis tantum locis, quibus Encolpius aut sua ipsius (ut c. 2) aut alius cuiusdam verba refert, non in mera Encolpii narratione.[9]) haec quoque verba e numero eorum sunt, quae non adhibebantur nisi in sermone familiari, quod etiam iis locis confirmatur, quibus apud alios scriptores inveniuntur. saepissime autem locum habet, ubi nonnullis rebus enumeratis oratio transgreditur ad gravissimam, ita ut sit: ut uno verbo dicam. cf. c. 37 (41, 1), 45 (52, 4), 58 (69, 2), 71 (84, 9), 134 (189, 11), 140 (202, 15). clarius etiam vis intendendi, quae primitiva inest in *ad summam*, intellegitur, ubi non complures res antea enumeratae sunt. cf. c. 38 (41, 4), 57 (66, 14), 105 (127, 5). aliis autem locis sine omni peculiari vi videtur usurpata esse formula. sententia enim generali praemissa per *ad summam* ita transit oratio ad rem singularem, ut exemplo afferendo inservire videatur. cf. c. 2 (5, 4: *eloquentia stetit et obmutuit. ad summam, quis postea Thucydidis, quis Hyperidis ad famam processit?* ita enim recte transposuit Haasius: misc. philol. III p. 16 a. 1861, qui etiam locos utriusque Senecae et Horatii affert, quibus *ad summam* legitur), 37 (40, 1), 31 (32, 19), 57 (67, 15), 75 (89, 23), 77 (91, 17).

In unaquaque fere libri Petroniani pagina occurrit verbum *coepisse*, plerumque cum infinitivo alius verbi coniunctum. (*coepi* non addito infinitivo duobus tantum locis inveni, cum omnino 95 exempla huius verbi notaverim, c. 58: *vix me teneo, nec sum natura caldicerebrius, sed cum coepi, matrem meam dupondii non facio* et c. 94: *erras, si putas contingere posse, ut ante me moriaris. prior coepi.*) sine ullo discrimine modo infinitivus activi modo passivi cum *coepi* coniungitur, ac ple-

[9]) In c. 31 (32, 19) *ad summam* certe verbis servi addenda sunt, ut iam Buechelerus dubitanter monuit.

rumque in infinitivo adiecto inest significatio movendi, vel eundi vel videndi vel quo affectus animi depinguntur. in libertinorum colloquiis hoc verbum octies invenitur ita usurpatum, ut a communi usu non recedat. et omnino non modo non puto hunc frequentissimum verbi *coepisse* usum vulgaris aut familiaris esse sermonis, sed Petronium hac re sermonem elegantiorem atque urbaniorem reddere voluisse crediderim, praesertim cum saepissime adiecto *coepi* verborum vis quodammodo mutetur, ita ut nos haud raro illam significationis variationem reddere non possimus. Strelitzius (l. c. p. 633) hunc usum cum aoristo graeco comparat. aptius Kuehnerus (II § 242, 3) videtur sic explicasse, ut sit: eine Umschreibung des beschreibenden Imperfects mit Ruecksicht auf den Anfang der Handlung. illud autem nobis fere inauditum videtur, quod apud Petronium, sicut etiam apud nonnullos alios scriptores (ut Ciceronem et Senecam), nonnunquam legitur *coepi velle* cum infinitivo alius verbi coniunctum. cf. c. 9: *coepit mihi velle pudorem extorquere* et c. 70: *iam coeperat Fortunata velle saltare* (et similiter c. 98: *incipe velle servare.*). quod si nos accuratius reddere volumus, longis verborum ambagibus opus est.[10])

Saepius deinde invenimus verbum *notare* a Petronio usurpatum pro *animadvertere.* omissis tribus locis, quibus notum reddere significat, quattuordecim inveni, quibus aut *notare* aut *sibi notare* (cf. c. 6 [9, 10], 103 [126, 3], 111 [138, 3]) pro *animadvertere* positum est. sed hic usus etiam apud alios scriptores, quanquam rarius, invenitur. (cf. Reinesii adn. ad c. 67 p. 437 Burm., qui locos affert e Cicerone, Valerio Flacco, Gellio. cf. etiam Beck. p. 139.)

Denique, ut id uno verbo tangam, Petronius quoque, sicut

---

[10]) Haud alienum erit hac occasione oblata adnotare hunc pleonasticum, ut ita dicam, verbi *coepisse* usum ne ab anglica quidem et a theodisca medii aevi linguis alienum esse. in carminibus enim epicis XIII. et XIV. saec. similes formulae non ita raro inveniuntur et magis etiam id observavi in carmine anglico quodam saeculi XIII., quod inscribitur Sir Tristrem. (cf. Gottfrieds von Strassburg Werke herausg. v. v. d. Hagen. II 123 seqq.) in hoc carmine verbum *gan* saepissime eodem modo usurpatur atque *coepit* a Petronio. cf. 1 9, 7; 10, 3; 15, 4; 17, 2 multos alios locos.

omnes scriptores, qui sermonem plebeium vel cotidianum imitantur, saepissime deminutivis utitur. hic usus ex motu quodam animi explicandus est eius, qui loquitur, non quidem semper hilari, ut falso contendit Muellerus (de ling. lat. deminut. diss. Regim. a. 1865 p. 19), sed etiam haud raro e misericordia quadam.

### § 5. De parataxi pro hypotaxi posita.

Homines minus eruditi, sicut infantes, in loquendo sententias paratactice solent adnectere, non alteram alteri subiungere. plerumque praeterea temporalem tantum, non causalem respiciunt rationem, quae intercedit inter duas sententias. quo fit, ut multo rarius in eorum sermonibus particulae sententias coniungentes inveniantur, quam in hominum eruditiorum sermonibus. et, quae inveniuntur, sunt plurimae aut copulativae aut adversativae, multo rarius autem causales eaeque plerumque liberiore modo usurpatae.

In parataxi quam dixi consideranda Draegerum (§ 368 seqq.) secutus initium capiam ab iis verbis, quae, cum vulgo ita usurpentur, ut sequens sententia ab illis pendeat, apud Petronium saepissime dissolute in initio enuntiati ponuntur.

*Credere.* c. 52: *credo dixerit,* c. 63: *oportet credatis, sunt mulieres plussciae,* c. 92: *eques Romanus . . errantem . . abduxit, credo, ut . . uteretur,* c. 113: *accedebat huc, quoa . . Giton . . vocabat, credo, veritus ne,* c. 138: *forsitan resipiscerent partes veneficio, credo, sopitae.* saepius etiam imperativus ita ponitur. cf. c. 46: *crede mihi, quidquid discis, tibi discis,* c. 69: *crede mihi, et vos novimus,* c. 129: *crede mihi, non intellego,* c. 47: *credite mihi, anathymiasis in cerebrum it,* c. 52: *credite mihi, cordacem nemo melius ducit,* c. 77: *credite mihi, assem habeas, assem valeas; habes habeberis.* (cf. Draegerum § 369, 1, qui vereor ne nimis acute inter *crede mihi* et *mihi crede* distinxerit, nam a Petronio *mihi* saepius ante, quam post *crede* ponitur. Kuehnerus II § 178, 4a de eadem re quaerens adnotavit Ciceronem formulam *mihi crede* magis amasse, quam *crede mihi* ad evitandam clausulam pentametri. sed num tale discrimen statui possit, valde dubito, praesertim cum loci illi in Cicer. orat. in Verr. IV 59, 132 et 133 apertissime videantur

demonstrare, Ciceronem tantum ut formulam variaret, collocationem verborum mutasse.) ceterum omnes locos, quibus verbo *credere* structura sententiae non mutatur, supra enumeravi. per se tamen apparet non omnes esse eiusdem generis, nam ubi sententia pendet e prima pers. sing. aut ex imperativo, non minus facile statui potest has formas quasi in parenthesi vel absolute additas esse ideoque omnino nullam intercedere rationem inter eas et structuram sententiae. tamen etiam in ceteris verbis enumerandis omnia exempla promiscue dedi, ne in unoquoque verbo iterum iterumque eadem dicere opus sit. indicabo autem omnes locos, quo facilius diversa huius usus genera discerni possint.

Draegerus (§ 369, 5) verbum *reri* semel ita usurpari docet, utrum apud omnes scriptores Latinos an apud unum Ciceronem, non satis elucet. certe etiam apud Petronium ita invenitur in carmine de bello civili c. 122 v. 167: *at reor haud impune* (scil. vetant). in prioribus editionibus hoc loco *ut* pro *at* legebatur, quod plerique codd. habent, sed tamen non dubitandum est, quin cum cod. P et cum Heinsio *at* legendum sit. nam omissis aliis causis *ut reor* certe nimis ieiunum esset pro loci et verborum magnificentia.

Ne longus sim, in ceteris verbis afferendis satis habebo locos tantum indicare, quibus hic usus invenitur, non verba ipsa exscribam. cf. *putare* c. 65 (78, 10), 77 (91, 7), 86 (101, 14), 106 (128, 25); *scire* c. 38 (42, 7), 76 (90, 15); *sperare* c. 47 (54, 1), 57 (67, 9); *fateri* c. 91 (110, 17); *videre* c. 87 (102, 14); *orare* c. 45 (50, 8), 61 (72, 12);[11]) *quaeso* c. 91 (110, 16), 128 (177, 9); *dicere* c. 2 (4, 3), 128 (177, 11). aliis locis verba non tam arte cohaerent cum sententia insequente, sed praemissa sunt quasi ad id quod sequitur, introducendum. ita praemittitur *tibi dico* c. 64 (76, 4), *quaeso* c. 24 (25, 12).

Haec sunt e verbis, quae Draegerus enumerat, ea, quae apud Petronium inveniuntur. potuit tamen etiam alia addere,

---

[11]) Draeg. § 369, 15 falso putat hunc usum non inveniri nisi apud Plautum et Silium. cf. etiam Ov. met. XIII 376 seqq. Suet. Caes. 39.

ac primum quidem id, quod omnium saepissime ita a Petronio usurpatur, verbum:

*Rogare.* hoc verbum interrogatio directa sequitur c. 7 (10, 6), 39 (42, 19), 48 (56, 1), 55 (63, 6), 58 (68, 2), 86 (102, 2), 90 (109, 5), 95 (114, 20), 126 (173, 11). — aliis locis verbum *rogare* sequitur imperativus, ita ut idem sit ac nostrum bitte mediam in orationem insertum. cf. c. 20 (21, 18), 67 (79, 12), 132 (185, 4), 137 (197, 14). — denique eodem modo usurpatur, quem supra notavi. praemittitur *rogo*, ut eo magis auditores animum intendant. cf. c. 63 (75, 14), 75 (89, 8), 77 (91, 6). — verbum *rogare* num eodem vel simili modo apud alios quoque scriptores usurpatum inveniatur nescio. certe exempla, quae Beckius (p. 123) e Plauto (Bacch. II 2, 28) et Terentio (Phorm. IV 1, 8. Andr. I 2, 13) affert, omnia ad hanc rem non quadrant.

*Narrare* saepius interrogationi directae praemittitur. cf. c. 48 (55, 15), 67 (79, 12), 133 (186, 13). in c. 129 imperativus sequitur verbum *narrare: narrabo tibi, paralysin cave.* Beckius (p. 150) ad hunc locum affert Cic. ad Att. II 11, 1: *narro tibi, plane relegatus mihi videor, posteaquam in Formiano sum.*

*Precor* semel ita usurpatur in fragm. 50, 14 (quod tamen Buechelerus obelo signavit), ubi legimus:

*me si manet exitus, idem*
*hic, precor, inveniar.*

Denique addendum videtur nonnunquam in mediam orationem ad augendam vim verborum inseri *inquam.* ita c. 66: *et si, inquam, ursus homuncionem comest, quanto magis homuncio debet ursum comesse?*, c. 88: *quis, inquam, venit in templum?*, c. 130: *habes, inquam, confitentem reum.*

## § 6. De asyndeto.

Iam verba, de quibus in § 5 locutus sum, saepius nulla addita coniunctione in initio sententiae posita esse vidimus, sed alia quaedam in certis verborum complexibus semper ἀσυνδέτως enuntiato praemittuntur. horum pauca nunc commemorabo, quae aut saepius reperiuntur aut non videntur usurpata fuisse nisi ab hominibus plebeis.

Primum verbum *curabo* saepius cum coniunctivo coniunctum legitur in initio sententiae, rarius mediae insertum, ac semper quidem in sermonibus libertinorum. cf. c. 58: *curabo, iam tibi Jovis iratus sit* et *curabo, longe tibi sit comula ista bessalis* et *Athana tibi irata sit curabo*, c. 74: *curabo, domata sit Cassandra caligaria* et *recte, curabo, me unguibus quaeras*, c. 75: *iam curabo, fatum tuum plores.* particula *at* praemittitur c. 69: *at curabo, stigmam habeat.* perpauca huius rarae structurae exempla ex aliis scriptoribus desumpta collegit Draegerus (§ 409, 1 et 2 d). — ceterum etiam nonnulla alia verba Petronius solet cum mero coniunctivo coniungere omisso *ut: suadeo, cave, oportet, rogo, dico, volo, nolo, malo, faxo, licet,* cuius usus nonnulla exempla collegit A. a Guericke p. 63.

Tum etiam a *putares* vel *putes* vel *putasses* nonnunquam sententiae omissis coniunctionibus incipiunt, ut c. 7: *putares ab eadem anicula esse deductum*, c. 45: *putares eos gallos gallinaceos*, in c. 63: *putares canem leporem persequi*, c. 76: *putares me hoc iussisse*, c. 123: *iussa putares;* c. 47: *putes taurum*, c. 49: *putes illum piper non coniecisse*, c. 104: *putes una nos dormiisse;* c. 76: *putasses illum semper mecum habitasse.*

Deinde accuratior alicuius rei explicatio saepe indicatur praemisso *vides*, plerumque cum accusativo substantivi vel pronominis coniuncto. cf. c. 36: *vides illum, qui obsonium carpit*, c. 38: *vides illum, qui in imo imus recumbit* et *vides tot culcitas*, c. 46: *vides Phileronem causidicum*, c. 67: *videtis mulieris compedes*, c. 126: *vides me*, c. 131: *vides, quod excitavi.* [12])

Sicut *vides*, ita etiam nonnullae formae verbi *scire* interdum sententiis dissolute praemittuntur. cf. *scias oportet* c. 45, *scimus* c. 46, *scis* c. 74, *scimus* c. 75 bis.

---

[12]) In c. 134 post lacunam legitur: *o, inquit, Oenothea, hunc adolescentem, quem vides: malo astro natus est.* Buechelerus recte adnotat illud *inquit* ab excerptore immissum videri, ut saepius factum est. cf. c. 118 (150, 18). tum accusativus *hunc adolescentem* per attractionem explicandus est. Buechelerus talem attractionem in tam arta compactaque oratione artem prae se ferre, non naturam sermonis communis iudicat. sed eam ne a sermone cotidiano quidem alienam esse demonstrare mihi videntur nonnulli veterum comicorum loci, ut Ter. Eun. IV 3, 11. Plaut. mil. glor. v. 140 Ritsch. alios locos ad h. v. adscripsit Lorenzius, qui tamen illum Plauti locum non recte explicat.

Denique haud raro sententia dissolute incipit ab imperativo. praeter *crede* ac talia, quae iam supra commemoravi, in libertinorum sermonibus haec notavi: *nolite* c. 62 (74, 12), *vide* c. 51 (58, 9), *faciatur* c. 71 (85, 3), *facias* c. 71 (85, 4), *voca* c. 49 (56, 13), *abite* c. 74 (87, 19).

Atque haec hactenus de singularibus asyndeti generibus, quae certis quibusdam verbis indicantur. sunt autem praeterea certae formae, quae pro diversa significatione diversis generibus adscribi possunt. in quibus describendis Naegelsbachium (Lat. Stil. §§ 197—202) secutus ea tantum considerabo, quae in libertinorum dialogis inveniuntur, quia haec omnium sunt gravissimi momenti.

Naegelsbachius discernit ea, quae revera asyndeta sint (aecht), ab iis, quae videantur tantum asyndeta esse (unaecht). nam ubi inter duas sententias iam re ipsa conexus intercedit, non opus est particulam, qua ratio significetur, addere, ideoque ibi non verum asyndeton statuendum est. primum multae sententiae dissolute antecedentibus adduntur, quibus id, quod praecedit, explicatur. hoc explicativum asyndeton omnium saepissime in dialogis libertinorum invenitur, quippe qui, ut iam supra dixi, particulas causales plerumque omittant. pauca ex multis exemplis haec sunt: c. 30: *non tam iactura me movet, quam neglegentia nequissimi servi. vestimenta mea cubitoria perdidit*; c. 38: *reliquos autem collibertos eius cave contemnas. valde succossi sunt*; c. 39: *quod autem in medio caespitem videtis, nihil sine ratione facio. terra mater est in medio quasi ovum corrotundata et omnia bona in se habet tanquam favus.* — nonnunquam id, quod in universum dictum est, postea singulis exemplis sine ulla coniunctione additis explicatur. cf. c. 38: *ceteri eius colliberti . . valde succossi sunt. vides illum, qui in imo imus recumbit,* c. 44: *sic istos* (scil. aediles) *percolopabant, ut illis Iupiter iratus esset. memini Safinium.* — huc etiam parentheses explicativae pertinent. cf. c. 38: *sed quomodo dicunt — ego nihil scio, sed audivi — thesaurum invenit,* c. 42 (46, 15), 77 (91, 6). — denique proverbia quoque ac sententiae, quae paene in proverbium abierunt et quae plerumque explicationis causa addita sunt, ἀσυνδέτως ponuntur. exempla, quae in dialogis libertinorum notavi, sunt haec: c. 34: *vita vi-*

*num est*, c. 39: *pisces natare oportet*, c. 42: *aqua dentes habet*, c. 43: *longe fugit, quisquis suos fugit*, 45 (50, 8 et 9), 45 (51, 12), 46 (52, 7), 63 (74, 18), 64 (76, 6), 66 (79, 10), 76 (90, 19). — eodem pertinent aliae quaedam loquendi formulae, ut c. 42: *utres inflati ambulamus. minoris quam muscae sumus* et *neminem nihil boni facere oportet*, c. 46: *habet haec res panem* et *litterae thesaurum est*, c. 47: *nemo nostrum solide natus est*, c. 59: *semper in hac re, qui vincitur, vincit*, c. 61: *satius est rideri, quam derideri*, c. 75: *corcillum est, quod homines facit.*

Tum particula saepius omittitur, si duae sententiae inter se opponendae sunt. cf. c. 37: *quem amat, amat; quem non amat, non amat*, c. 39: *strabones, qui holera spectant, lardum tollunt*, c. 44: *nunc populus est domi leones, foras vulpes* et *nemo Iovem pili facit, sed omnes opertis oculis bona sua computant. antea stolatae ibant.* — saepe tales sententiae incipiunt a prenominibus personalibus *ego, tu, nos* aliis, saepe etiam a verbo *non*, ubi aut persona aut negatio maxime premenda est.

Aliis locis particula omissa est, propterea quod, si adderetur, vim verborum minueret, ut in enumerationibus. cf. c. 38: *solebat sic cenare quemodo rex: apros gausapatos, opera pistoria, avis, cocos, pistores*, c. 39: *itaque quisquis nascitur illo signo, multa pecora habet, multum lanae, caput praeterea durum, frontem expudoratam, cornum acutum* multa alia.

Saepe porro id, quod e nonnullis sententiis concludendum est, dissolute additur. sed huius usus exempla afferre vix opus erit, unum locum exscribam, quo verbo *omnia* praemisso postea singulae res enumerantur, c. 38: *omnia domi nascuntur: lana, cerae, piper, lacte gallinaceum si quaesieris, invenies.*

Contra Naegelsbachius id verum asyndeton esse dicit, quo coniunctio omittitur eo consilio, ut res, quae dissolutis sententiis narrantur, celerius inter se subsecutae esse videantur. cf. c. 62: *apoculamus nos circa gallicinia. luna lucebat tanquam meridie. venimus intra monimenta. homo meus coepit ad stellas facere, sedeo ego* (haec Schefferi et Iahnii mutatio magis placet propter abruptam totius loci rationem narrandi, quam Heinsii,

quem Buechelerus secutus est) *cantabundus et stellas numero. deinde ut respexi ad comitem, ille exuit se et omnia vestimenta secundum viam posuit. mihi anima in naso esse. stabam tanquam mortuus* et *ut larva intravi, paene animam ebullivi. sudor mihi per bifurcam volabat, oculi mortui, vix unquam refectus sum.*

Draegerus § 362 agit de asyndeto disiunctivo, cuius exemplis e Petronio haec addi possunt: *plus minus* c. 52 (59, 2), *hac illac* c. 57 (67, 20), *velit nolit* c. 71 (85, 9). cf. etiam quae affert Buechelerus: symb. phil. Bonn. p. 41.

Medius inter asyndeton et sententias coniunctionibus adnexas is usus est, cum posteriore sententia id, quod priore dictum est, confirmetur, plerumque addita particula quadam, ut *ita, vero* (cf. Naegelsb. § 197). quare hoc usu dicendi apte transducimur ad coniunctiones ipsas.

Saepius ab *ita* incipit oratio, qua id, quod interrogatum est, confirmatur. quare hanc particulam apte per *recte* circumscribere possumus. cf. c. 24: „*Ascyltos in hoc triclinio solus ferias agit?*“ — „*ita*“, *inquit Quartilla*, „*et Ascylto embasicoetas detur*“, c. 25: „*ita, ita*“, *inquit Quartilla*, „*bene admonuisti*“, c. 53: „*ita*“, *inquit Trimalchio*, „*non oportet transire*“. — „affirmationem, quam in recta oratione *ita* occupat, etiam in interrogatione obtinet. *itane* igitur instantius interrogat, an sit res, quae incredibilis aut dubia est visa, sed ab aliis affirmata“ (cf. Hand. III 495, 24. Kuehner. II § 230, 5). ita legimus c. 20: „*itane est?*“ *inquit Quartilla*, c. 21: „*itane est?*“ *inquit Quartilla*, c. 105: „*itane,*“ *inquit*, „*capillos aliquis in nave praecidit?*“ Handius (l. c.) dubitat, num etiam *ita* simplex in hoc usu fuerit. sed in Petronio certa exempla inveniuntur. Handius ipse affert c. 25, ubi codd. A F G L et editio Plantina habent: „*itaque*“, *inquit Quartilla*, „*minor est ista?*“ Patissonius autem adnotavit in aliis codd. legi *itane*, quod Heinsius et Handius non recte comprobaverunt, melius enim cum Buechelero *ita* (cum vi causali pro *itaque*) scribitur, quod ille eruit e lectione aliorum codd. *ista*. Heinsius etiam c. 127 (176, 1) *itane* scribere maluit, quanquam ibi in uno tantum cod. *itaque* legitur, ceteri autem praebent: „*ita*“, *inquit*, „*non dixit tibi*

*ancilla mea Circen me vocari?*“ [13]) sed hic lectionem plurimorum codd. retinere possumus, itemque c. 75, ubi sic interpungendum videtur: *ita? tibi videtur, fidicipedia?* et c. 102: *„ita vero“, inquam ego, „tanquam solidos alligaturus?“*

Usitatissima denique est adnexio affirmativa, quae per *plane* fit. loci autem, quibus *plane* sententiis praemissum inveni, ita ut per wahrhaftig vertendum sit, sunt hi: c. 12 (14, 11), 49 (56, 20), 63 (75, 8), 67 (80, 9), 69 (81, 19). — interdum etiam responsiones a *plane* incipiunt. cf. c. 41 (45, 1). — saepius verbo cuidam praemittitur ad vim eius augendam atque confirmandam. cf. c. 43: *plane fortunae filius,* c. 45: *plane fugae merae,* c. 58: *plane qualis dominus, talis et servus.*

Transeamus iam ad examinandum usum particularum, quibus sententiae inter se coniunguntur, ac primum copulativarum, adversativarum, disiunctivarum. in commemorandis libris, in quibus de hac re agitur, brevitatis causa plerumque satis habebo Handii Tursellinum, Draegeri Hist. Synt. d. lat. Spr., Kuehneri Ausf. Gramm. d. lat. Spr. citare, quoniam hi libros priorum virorum doctorum indicant. in explicando autem usu particularum operam dedi, ne nimis argute singulis locis singularem significatum attribuerem, quod quidem periculosum sane ac lubricum est. ac ne Handius quidem hoc periculum plane videtur effugisse. omnibus locis simplicissimam, quam reperire potui, explicationem secutus sum, atque, ubi dubitari potest, num peculiaris quaedam notio statuenda sit, cunctos, quantum potui, collegi, ut qui similibus studiis operam darent, explicationes meas facillime examinare possent. nullum certe locum difficiliorem consulto omisi.

---

[13]) B et p exhibent: *ancilla mea me Circen vocari,* quod Buechelerus in editione recentiore a. 1871 in textum recepit. sed ex hac varietate id mihi videtur elucere, illud molestum *mea* eiciendum esse.

## Caput secundum.

### § 1. Et.

Usus particulae *et* in facili et neglegenti dicendi genere, quo Petronius utitur, latissime patet. sed quoniam de vario huius particulae usu Handius (II 467—540), Draegerus (§ 311), Kuehnerus (II § 151 a) uberrime ac scitissime disputaverunt, satis erit omissis eis locis, qui a vulgari usu non recedunt eos tantum considerare, quibus aut paulo insolentius videtur usurpata esse, aut qui ad usum accuratius definiendum aliquam vim habent, aut quibus de scriptura verborum dubitari potest.

Repetitae saepius particulae memorabile exemplum est c. 66 (79, 7: *in summo habuimus caseum mollem et sapam et cochleas singulas et cordae frusta et hepatia in catillis et ova pillata et rapam et senape et catillum concacatum, pax palademes*). — tum singularem quandam artem in eo exhibuit Petronius, quod duo verba ab eadem littera incipientia interposita *et* particula coniunxit. c. 14 (16, 8): *scissam et sordidam,* c. 15 (16, 15): *reddant et recipiant,* c. 25 (26, 10): *plaudentibus et postulantibus,* c. 39 (43, 7): *bigae et boves,* c. 39 (43, 16): *copones et cucurbitae,* c. 45 (51, 16): *mihi et meis,* c. 46 (52, 11): *venias et videas,* c. 56 (66, 1): *porri et persica,* c. 76 (91, 4): *ab acia et acu,* c. 87 (102, 12): *deceptum et derisum,* c. 88 (104, 5): *docemus et discimus,* c. 91 (110, 17): *fateor et prae me fero,* c. 98 (118, 20): *reduc et redde,* c. 101 (122, 16): *confusus et consilii egens,* c. 117 (150, 2): *aurum et argentum,* c. 141 (205, 8): *corrumpitur et conciliatur,* c. 18 (20, 2): *et misericordia et metu.* cf. quae de eodem usu apud Ciceronem disputavit F. Hoppe in progr. gymn. Gumbinn. a. 1875. p. 8.

Tribus vel pluribus verbis vel sententiis positis ultimo

membro *et* addit, ita ut eo, quod postremo loco particula *et* adiungitur, aut omnia, quae antea dicta ac praeterea dicenda erant, complectantur aut addita particula vis postremi membri augeatur. cf. c. 47 (54, 9), 47 (55, 1), 63 (75, 15), 126 (174, 8), 139 (201, 13), 58 (68, 16, quem locum Burmannus supervacanea transpositione sanare studuit).

Aliis locis per *et* ad notionem generalem propria quaedam res additur, ut nonnunquam idem valeat atque: id est. cf. c. 74 (88, 2), 95 (115, 13), 102 (123, 10), 106 (128, 20), 46 (53, 3, ubi particula *et* explicandi causa exemplum adiungitur. nam ad *alias naenias* additur: *et libentissime pingit.*)

Saepius porro in *et* videtur inesse quaedam augendi vis, ubi a minore re ad graviorem transitur. cf. c. 2 (5, 1: *ventosa istaec et enormis loquacitas*), 4 (6, 10), 4 (7, 3), 19 (21, 16), 22 (24, 7) multa alia. cf. Draeger. § 311, 7 b.

Invenitur *et* etiam ante verba negativa, ut ante *non* c. 47 (55, 3), 55 (62, 22), 91 (110, 10), 96 (116, 13), 101 (122, 9), 101 (123, 5), 102 (125, 2) et in fragm. 40, 4; 47, 6; 50, 7. omnibus autem his locis hic usus facile explicatur partim maiore vi negationis, partim eo, quod *non* non ad universam sententiam pertinet, sed cum uno verbo artius coniunctum est. uno loco, c. 86 (101, 12), sententiae ab *et . . non* incipienti alia praemissa est condicionalis per *si*, ita ut illa notio corrigatur vel potius artioribus limitibus circumscribatur. magis offendit locus, quo *et non* ponitur in sententia ab *ut* incipiente, ita ut pro *ut non* exspectemus *ne*. cf. c. 15 (17, 4: *ut . . vestis . . strangularetur et nos . . non veniremus*). simillimus est locus c. 75 (89, 14: *suadeo bonum tuum concoquas, milva, et me non facias ringentem.* sed hoc loco scriptor Trimalchionem loquentem facit ideoque maior dicendi libertas non mira est.) bis invenimus *et iam non*. cf. c. 27 (29, 9) et 87 (102, 19). denique recte a Reiskio in textum repositum esse *et non* puto c. 74 (88, 12: *et in sinum suum non spuit* ubi cod. exhibet: *suum conspuit.*) — ante *nihil* invenimus *et* duobus locis, c. 41 (45, 5) et 62 (74, 8). cf. Hand. II 497, 6. Draeger. § 311, 4, cuius de raritate huius usus sententiam correxit Harre in Jahresber. d. philol. Ver. a. 1877, p. 399.

[redacted]arius autem *et* locum habet in sententia negativa.

et in Petronii quidem libro unum tantum locum inveni. cf. c. 113 (143, 16: *me nihil magis pungebat, quam ne Eumolpus sensisset, quicquid illud fuerat, et homo dicacissimus carminibus vindicaret*). cf. Hand. II 499, 10. Draeger. § 311, 3.

Post imperativos nonnunquam invenitur *et*, quo pro certo affirmatur aliquid statim secuturum esse, si id factum fuerit, quod imperativo significatur. sed huius usus apud scriptores optimae aetatis nullum invenitur exemplum (cf. Madvig. ad Cic. de fin. II 30 et opusc. II 161 seqq.). in Petronii libro hos notavi locos: c. 15 (16, 15: *reddant . . et recipiant*), 45 (52, 6), 101 (123, 7 et 8), 137 (199, 2). cf. Hand. II 485, 21. Draeger. § 311, 15. Kuehner. II § 151, 6.[14]) — in coniungendis duobus imperativis *et* non poni nisi a poetis comicis non satis recte Draegerus (§ 311, 17) docet. nam Petronius certe saepius posuit quam omisit *et* vel *que*. *et* legitur c. 79 (94, 6), 91 (110, 1), 93 (112, 13), 99 (120, 4), 101 (122, 2), 101 (122, 20), 115 (147, 1 et 2), 107 (129, 13), 122 (164, 3), 122 (164, 9), 124 (170, 15), 127 (175, 6), 133 (187, 6), 141 (205, 5) et fragm. 50, 12; *que* legitur c. 108 (132, 12), 116 (148, 6), 120 (159, 12), 121 (161, 5), 124 (170, 18), 133 (187, 12), 124 (171, 5), 129 (180, 2) et fragm. 37, 1. non addita coniunctione imperativi positi sunt his locis: c. 78 (92, 15), 80 (94, 17), 94 (113, 12), 121 (161, 1), 23 (25, 4 seqq.), quibus omnibus locis oratio aut concitatior est aut poetica. quare rectissime *et* restitutum est c. 114 (145, 4).[15])

Saepius *et* etiam ibi ponitur, ubi particulam adversativam exspectamus. ita *et* idem fere valet ac *tamen* vel *sed* c. 33 (36, 13), 44 (48, 5), 45 (51, 3), 58 (69, 5 et 6), 91 (110, 10), 77 (91, 18), 57 (67, 1), 63 (75, 7, ubi Buechelerus et Jahnius

[14]) Duos locos notavi, quibus *et* in tali sententia omissum est, c. 16 (17, 19): *cum et ipsi ergo pallidi rogaremus, quis esset, „aperi" inquit „iam scies"*), et c. 44 (48, 13: *serva me, servabo te,* quae tamen formula proverbium sapit).

[15]) Neque aliena est haec ratio dicendi ab aliis eiusdem ac posterioris aetatis scriptoribus. in Iuvenale enim legenti mihi occurrerunt hi loci: II 45 et 131, IV 306, X 310. fortasse etiam in Sen. Apoc. c. 13 hoc restituendum est: *celerius i, inquit Mercurius, et venire nos nuntia.* hic enim scriptor plerumque *i* et sequentem imperativum per *et* coniungit. (cf. Draeger. § 359, 1 b $\gamma$.)

*et* non recte id *sed* mutaverunt, Schefferus more suo *at* scripsit.) cf. Hand. II 496, 4. Draeger. § 311, 10. Kuehner. II § 151, 8. — haud ita dissimilis huic usui est is, quem Handius (II 488, 3) ita describit: *voculationis modus, quem cum anacrusi metrica comparavimus, etiam ibi locum obtinet, ubi in altera vel contraria parte aliquid est designandum, quod aequali submittatur rationi.* Handius duo affert exempla, alterum Vergilii (ecl. III 62), alterum Calpurnii, ex quo apparet hunc usum esse rarissimum. accedit etiam, quod Calpurnius hoc loco (ecl. II 32, ubi Glaeserus quidem contra plerosque codd. *at* scribit) Vergilium, Vergilius autem Theocritum (V 80 seqq.), imitatus est. eodem modo Petronius *et* duobus locis usurpat, c. 45 (52, 6: *munus tamen, inquit, tibi dedi. — et ego tibi plodo.*) et 57 (66, 17: *eques Romanus es. et ego regis filius.* Schefferus *at* pro *et* scripsit.) adnotandum autem est Petronium in libertinorum tantum sermonibus hac libertate uti. — notissimum est multo rarius a scriptoribus Latinis, *et . . etiam* in una sententia coniungi, quam nostrum und . . auch a nostratibus. tamen apud Petronium haud raro legitur. cf. *et . . etiam* c. 21 (23, 15), 40 (44, 3), 81 (96, 4), 86 (101, 26), 94 (113, 3), 109 (133, 10), 79 (92, 25), 135 (191, 12); *et . . quoque* c. 81 (96, 9), 83 (98, 17), 88 (105, 2), 126 (172, 19). cf. Hand. II 251, 18. Draeger. § 313. Kuehner. II § 151, 14. dubitari potest, num huc pertineat c. 102 (124, 10), ubi legimus: *„quidni" inquit Giton, „etiam circumcide nos, ut Iudaei videamur, et pertunde aures, ut imitemur Arabes, et increta facies, ut suos Gallia cives putet: tanquam hic solus color figuram possit pervertere . . puta infectam medicamine faciem diutius durare posse; finge nec aquae asperginem imposituram aliquam corpori maculam . . age, nunquid et labra possumus tumore taeterrimo implere?* cod. L, sicut saepius (cf. notas ad pp. 121, 1; 125, 9; 198, 3; 200, 16) exhibet *etiam pertunde* pro *et pertunde* et *etiam labra* pro *et labra.* sed quanquam in his rebus codici L magna fides habenda non est, quoniam *etiam* pro *et* habet etiam ubi certe *et* scribendum est (ut in formula *et ipse,* pro qua L *etiam ipse* falso habet in pp. 131, 11 et 128, 5), tamen hoc loco melius cum meliore codice *etiam pertunde* scribitur, quia in posteriore quoque enuntiato imperativi nulla addita [illegible] positi sunt. — uno autem loco, c. 77 (91, 9),

bis positum *et* in una sententia reperitur, priore adnectitur enuntiatum, posterior significat *etiam*. Trimalchio enim narrans, quid mathematicus Graecus dixerit, postquam nonnulla enumeravit, sic pergit: *et, quod vobis non dixerim, et nunc mi restare vitae annos triginta et menses quattuor et dies duos.* sed primum Trimalchioni hic liberior dicendi usus concedendus est, tum offensio etiam intermissa sententia relativa imminuitur.

Haud raro totae sententiae ab *et* incipiunt, ac plerumque quidem in libertinorum sermonibus, qui hac dicendi ratione vario modo utuntur. primum *et* saepissime ponitur, ubi ad rem diligentius tractandam transitur, ita ut idem sit atque *et quidem* (cf. Hand. II 490, 7). cf. c. 39 (43, 1), 43 (47, 12). tum locum habet, ubi aliquid magis affirmandum est. cf. c. 41 (45, 19), 57 (67, 3). compluribus locis talis notionis vis etiam augetur eo, quod verbum finitum particulam *et* subsequitur. cf. c. 45 (51, 1), 52 (60, 11), 57 (67, 19), 65 (78, 10), 67 (79, 16). aliis locis *certe* vel *revera* vel *mehercules* additum est. cf. c. 19 (21, 12), 45 (51, 17), 65 (78, 8),[16]) 69 (81, 22), 2 (4, 9), 33 (35, 6). cf. Kuehner. II § 151, 7. hic usus ita explicandus est, ut is, qui loquitur, ea tantum commemoret, quae maximi sunt momenti neque accuratius explicet, quae ratio inter duas res intercedat. (cf. egregiam dissertationem Ph. Spitta de Taciti in componendis enuntiatis ratione. Gotting. 1869 p. 9.)

Saepius porro sententiae incipiunt a formula *et .. quidem* uno vocabulo interiecto. ac plerumque quidem huic sententiae alia opposita est particula *autem*, ut c. 74 (87, 20: *et illi quidem — hi autem*), 92 (111, 11: *et me q. — illum autem*), 114 (144, 13: *et illum q. — Tryphaenam autem*), aut particula *ceterum*, ut c. 40 (44, 9: *et hi q. — ceterum Carpus*), 72 (86, 4: *et Giton q. — ceterum algentes*), 105 (127, 20: *et ego q. — cet. Giton*). secundum haec exempla bene correxit

[16]) Buechelerus hoc loco mavult *sed* quam *et*, quia tota sententia praecedenti quodammodo opposita est. sed hac mutatione non opus est. sicut enim *et* pro particula adversativa nonnunquam usurpatur, ita etiam *et mehercules* pro *sed mehercules*, cf. c. 33 (35, 6) et 69 (81, 22) et *nec mehercules* c. 38 (42, 5), ubi *sed non mehercules* exspectamus.

Buechelerus locos c. 29 (30, 13: *et collegae q. — ego autem*), 96 (116, 6: *et ille q. — ego autem*), 106 (121, 7: *et haec q. — ceterum mulier*). alio modo oppositio indicata est c. 69 (82, 14: *et haec q. tolerabilia erant, si non*) et 99 (120, 8: *et Eumolpus q. — ego*). omnes hi loci ita comparati sunt, ut vocabulum, quod inter *et* et *quidem* inseritur, accuratissime respondeat illi, quod particula *autem* et aliis ei opponitur. semper utriusque verbi idem casus positus est. huic observationi tres loci obstare videntur. primum c. 115 (147, 17) legimus: *et Licham quidem rogus inimicis collatus manibus adolebat. Eumolpus autem dum epigramma mortuo facit, oculos ad arcessendos sensus longius mittit,* tum lacuna sequitur. sed iam Buechelerus inconcinnitatem huius sententiae rectissime sensit et aliis, puto, de causis enuntiatum in dubium vocavit, suspicans post *facit* excidisse *et*. et recte id Buechelerus videtur perspexisse. facillime autem intellegitur, quomodo error ortus sit. librarius enim clausulam sententiae completam esse ratus, ut sermonis contextum quodammodo restitueret, *et* eiecit et *Eumolpum* in *Eumolpus* mutavit. ideoque ego quoque cum Buechelero *et* excidisse et sententiam esse lacunosam puto. quare de hoc loco quaestio in medio relinquenda est. — tum c. 97 (117, 19) legimus: *interim Ascyltos, ut pererravit omnes cum viatore cellas, venit ad meam. et hoc quidem pleniorem spem concepit, quo diligentius oppessulatas invenit fores. publicus vero servus .. laxavit.* in codd. videtur *hoc* legi, cum in adnotatione critica nulla discrepantia adnotata sit. in editione autem Burmanniana *hic* pro *hoc* scriptum est, itemque nec a Burmanno nec ab alio quidquam additum est. sed etiamsi in codd. *hoc* scriptum est, tamen accuratae responsionis causa *hic* legendum esse censuerim. — denique c. 47 (55, 8) cod. habet: *et quidem cocum potentiae admonitum in culinam obsonium duxit, Trimalchio autem miti ad nos vultu respexit.* primum recte Buechelerus verba transposuit: *et cocum quidem,* sed restat tamen inconcinnitas et praeterea ineptia, nam cocus obsonium, non obsonium cocum in culinam ducit. recte hunc locum iam Burmannus partim coniectura Tilebomeni usus mutavit ita: *cocus potentiae admonitus.* ita omnes hi loci optime inter se congruunt. — ab hac formula *et .. quidem* segreganda

est alia, qua *et quidem* nulla vocula interposita ponuntur. quae ibi locum habet, ubi ad aliquam rem descriptio accuratior additur, ut c. 40 (44, 6: *aper, et quidem pilleatus*) et c. 59 (71, 2: *vitulus, et quidem galeatus*). quare etiam c. 27 (29, 8) sine dubio cum Buechelero scribendum est: *et quidem iam principium cenae videtis.*

Deinde etiam in interrogationibus et exclamationibus mirantibus vel indignantibus *et* saepe usurpatur. cf. c. 37 (39, 18), 43 (48, 3), 81 (96, 8), 96 (116, 13), 66 (79, 6); 38 (42, 8), 42 (46, 10), 44 (48, 11), 44 (49, 8), 56 (65, 7), 74 (88, 15). cf. Hand. II 492, 13 et 493, 15. Draeger. § 311, 11. Kuehner. II § 151, 8. — nonnunquam parentheses quoque ab hac particula incipiunt. cf. c. 76 (90, 9), 64 (76, 5, ubi Schefferus perperam *at* se praeferre dicit. recte iam explicavit Hadrianides per *nam, quia.* cf. ed. Burm. p. 420), 50 (57, 14). cf. Hand. II 492, 12. Draeger. § 311, 8.

Handius (II 493, 16) docet antiquiores et recentiores scriptores, sicut Apuleium, dicere solitos esse *et ecce.* dubitat tamen, num etiam meliores scriptores mediae aetatis ita locuti sint. apud Petronium haec formula quater legitur, c. 40 (44, 3), 45 (50, 13), 66 (79, 1), 76 (90, 6), sed excepto eo loco, quem primum commemoravi, omnes in libertinorum dialogis leguntur. invenitur autem haec formula etiam apud Varronem.

Denique, ut hoc uno verbo tangam, Petronius saepissime verba alicuius adnectit ad priorem sententiam per *et .. inquit* alia huiusmodi. ita 83 locis notavi *et .. inquit*, 3 *et .. ait* vel *aiebat*, 4 *et .. conclamabat* vel *proclamabat.*[17])

---

[17]) Quae cum ita sint, minime dubito, quin etiam c. 9 (12, 10) corrigendum sit: *clamavit et: „non taces" inquit*, et c. 41 (45, 12: *Trimalchio rursus adiecit et: „non negabitis me" inquit „habere Liberum patrem"*), cf. c. 68 (81, 10: *lassus tamen cum aliquando desisset, adiecit Habinnas et: „nunquam" inquit, „didicit"*). nam quin cum Buechelero *nunquam inquit* pro *numquid* scribendum sit, non dubito, quae autem praeterea Buechelerus et Strelitzius (p. 631) mutaverunt, supervacanea sunt. *inquit* enim saepius abundanter additur, cf. c. 116 (148, 17). ceterum etiam Seneca hanc formulam saepe videtur usurpasse, in apocoloc. enim 6 locis notavi *et ait* vel *aiebat*, semel *et .. inquit.* sed Seneca *ait* vel *aiebat* semper ante initium verborum

## § 2. Que.

De usu particulae *que* primum id maxime notandum est nusquam eam inveniri in rusticis libri Petroniani partibus. quod quidem casu non potest accidisse, quoniam in aliis libri partibus in unaquaque pagina saepissime invenitur. ex quo certe concludi potest *que* particulam Petronii temporibus ab hominibus humiliore loco natis omnino non usurpatam fuisse.[18]) cum hac observatione optime videtur congruere, quod *que* in antiquissimis legibus aliisque Romanorum publicis documentis, ut in decem tabulis, in columna rostrata, in Scipionum titulo sepulcrali multo saepius invenitur, quam *et* vel *ac*. videtur igitur *que* posterioribus temporibus rarius adhibitum, semper autem nobiliori tantum dicendi generi usurpatum fuisse. idemque inde quoque videtur concludi posse, quod in plerisque certis, haud raro sollemnibus formulis, in quibus duae notiones inter se coniunguntur, *que* particula, multo rarius autem aliae coniunctiones usurpantur. quarum formularum multas afferunt Draegerus (§ 314, 8) et Kuehnerus (II § 152, 2), quibus ex Petronio nonnulla addere liceat: *rogo quaesoque* c. 99 (119, 15), *intra*

---

ipsorum ponit, Petronius semper *ait* vel *aiebat* ponit post prima verba insequentis sermonis.

[18]) Quam observationem qui videntur refutare loci aliter explicandi sunt. primum enim sententiam abruptam, quae legitur c. 55 (63, 4: *diuque summa carminis penes Mopsum Thracem commorata est*) Buechelerus in editione recentiore a. 1871 p. 34, 15 recte cum prioribus editoribus (cf. ed. Burm. p. 349) Encolpio, non, ut in editione a. 1862, Trimalchioni vel libertino cuidam tribuit. — deinde Trimalchio Scylacem canem adduci iubet, *praesidium domus familiaeque*. quae verba, quanquam scriptor nihil de hac re addit neque in praecedentibus ipsius Trimalchionis verba affert, certe Trimalchioni tribuenda sunt, ut recte Buechelerus adnotat, sed haec est certa formula saepius adhibita, ut docet locus Theophrast. char. c. 4 *περὶ ἀγροικίας* p. 126, 11 ed. Petersen: „*καὶ τὸν κύνα προσκαλεσάμενος καὶ ἐπιλαβόμενος τοῦ ὄγχους εἰπεῖν· Οὗτος φυλάττει τὸ χωρίον καὶ τὴν οἰκίαν.*“ — tertius denique locus certe corruptus est, in capite enim 65 (77, 24) cod. ita habet: *Habinnas sevir est idemque lapidarius, qui videretur monumenta optime facere.* posterior enuntiati pars, quin gravissime corrupta sit, nulla potest esse dubitatio ideoque eo verisimilius est corruptelam paulo latius patere et *que* quoque non recte se habere, nisi forte *idemque* certa quaedam formula est.

*forisque* c. 22 (24, 4), *diu multumque* c. 23 (25, 9), *magis magisque* c. 49 (56, 11) et 125 (172, 7), *vir liberque* c. 81 (96, 18), *vino scortisque* c. 88 (104, 4), *recti bonique* c. 88 (105, 1), *interdiu noctuque* c. 102 (123, 21), *noctibus diebusque* c. 111 (137, 6), *contra fas legemque* c. 108 (131, 1), *unus alterque* c. 108 (131, 3), *fide data acceptaque* c. 108 (132, 2), *uri vinciri verberari ferroque necari* c. 117 (149, 10), *bene feliciterque* c. 117 (150, 8), *omnia dicta factaque* c. 1 (3, 13), *semel iterumque* c. 34 (37, 3), 94 (114, 10), 115 (146, 20), 135 (191, 10), 140 (203, 10). — aliis locis *que* particula coniunguntur duae notiones, quae paene aut prorsus idem significant, ita ut nonnullis locis pleonasmus oriatur aut certe duobus verbis una notio exprimatur. huiuscemodi in Petronii libro notavi: *risu plausuque* c. 17 (19, 14), *regiones incultae asperaeque* c. 99 (119, 20), *liberalitas indulgentiaque* c. 47 (54, 11), *bonam mentem bonamque valetudinem* c. 61 (72, 10), *pergamentum dedecusque* c. 74 (88, 3), *derisum traductumque* c. 87 (102, 12), *anhelitus sudoresque* c. 87 (102, 20), *tristem confusumque* c. 91 (109, 17), *moderatio verecundiaque* c. 93 (112, 17), *vox rabiosa barbaraque* c. 96 (116, 11), *saevi implacabilesque* c. 107 (129, 14), *ingenuos honestosque* c. 107 (130, 6), *vox clara liberaque* c. 108 (131, 5), *monstro infernisque imaginibus* c. 111 (138, 7), *obliquis trucibusque oculis* c. 113 (142, 16), *frugalitas sanctique mores* c. 116 (148, 9), *vidua pudicaque nocte* c. 133 (186, 15), *proprium convenientemque cibum* c. 35 (37, 11). — nonnunquam eiusdem vocabuli formae masculina et feminina per *que* coniunguntur, velut: *filium filiamque* c. 140 (202, 11), *di deaeque* c. 79 (93, 11), 101 (122, 5), 115 (147, 5), 125 (172, 15). cf. Draeger. § 314, 9. — similes formulae sunt denique: *di hominesque* c. 88 (105, 4), 103 (125, 13), 140 (203, 23) et *res humanae divinaeque* c. 120 (158, 14).

Geislerus (Philol. X p. 112) observavit per *que* saepius participia et ablativos absolutos copulari, ut homoeoteleuton evitaretur. atque hoc quidem minus ad Petronium pertinet, sed tamen, ubi duae sententiae vel duae notiones adnectendae sunt, *que* ad participium perfecti passivi vel ad partic. perf. verborum deponentium adserere solet. cf. *reclusaeque* c. 16 (18, 1), *iussaque* c. 17 (19, 8), *vocatumque* c. 24 (26, 1); 26 (27, 10),

32 (34, 2), 33 (35, 4), 64 (76, 18), 64 (77, 3), 65 (77, 21), 65 (78, 3), 67 (79, 21), 70 (83, 8), 78 (92, 14), 79 (93, 18), 87 (102, 15), 94 (114, 11), 95 (114, 19), 98 (119, 7), 102 (124, 2), 103 (124, 6), 109 (132, 14), 110 (136, 3), 111 (137, 4), 111 (138, 15), 113 (142, 10), 114 (144, 13), 117 (149, 13), 119 (154, 6), 119 (155, 1), 119 (156, 4), 119 (157, 7), 121 (161, 5), 122 (161, 8), 123 (165, 16), 123 (167, 4 et 7), 124 (169, 9), 124 (170, 4 et 18), 127 (176, 8), 128 (178, 4), 132 (184, 4), 135 (193, 3), 136 (196, 7 et 9). — etiam ubi ablativus absolutus ad praecedentem sententiam adnectitur, *que* plerumque ad participium adseritur. cf. *prolatoque peculio* c. 8 (11, 8), *discussisque claustris* c. 11 (13, 15); 15 (17, 11), 40 (44, 12), 59 (71, 3), 73 (86, 12), 91 (110, 3), 92 (111, 4), 95 (115, 11), 111 (138, 6), 119 (156, 8), 131 (181, 19), 133 (187, 1), 135 (191, 9), 136 (196, 12 et 15 et 17), 137 (197, 17), 138 (200, 5), 140 (203, 5).

Apud optimos scriptores plerumque *que* ad praepositiones ibi tantum additur, ubi eadem praepositio iam in eadem sententia antecessit (cf. Draeger. § 314, 1). sed apud recentiores scriptores haec lex non tam accurate observata est. ita in Petronii libro invenimus: *extraque* c. 90 (109, 3) et 133 (188, 5); *contraque* c. 89 (108, 22), *superque* c. 29 (30, 13) et 54 (62, 6); *circaque* c. 32 (34, 4) et 69 (82, 17); *interque* c. 59 (71, 1) et 64 (77, 10); *perque* c. 97 (118, 1) et 123 (166, 13).

Quia in *que* plane eadem inest significatio atque in *et*, multi sunt loci, in quibus eadem notione una alterave particula usurpatur. ita *et* nonnunquam ponitur, ubi res dicitur celeriter consecuta esse (cf. Hand. II 482, 15. Draeger. § 311, 16). saepe praemittuntur verba, ut *idem, simul, vix* similia, quibus talis notio iam in initio sententiae indicatur. sed ubi haec desunt, hic usus non tam certe cognosci potest. ita etiam *que* saepius usurpatur. cf. c. 7 (10, 8), 72 (85, 22) alia. plerumque autem *que* cum verbis coniungitur, quibus talis consecutio expressis verbis significatur. cf. *statimque* c. 55 (62, 21) et 136 (195, 14), *continuoque* c. 25 (26, 8), 47 (55, 2), 65 (78, 5), *raptimque* c. 78 (92, 22), 91 (110, 5), 105 (128, 4), 128 (177, 16), *simulque* c. 88 (103, 2), 93 (112, 15), 95 (115, 5), 101 (122, 15), 111 (137, 10), 135 (192, 1), *momentoque temporis* c. 97 (117, 14).

Nonnunquam in eadem sententia, quae per *que* adnexa est, particula *etiam* ponitur. cf. c. 74 (87, 9), 80 (95, 1), 60 (71, 19), 105 (128, 1), 132 (185, 15), 137 (199, 11). cf. Draeger. § 319. Kuehner. II § 159, 2 n. 2.

Handius (II 480, 12) docet: *singulis rei partibus antea enumeratis additur per et id, quod universum genus complectitur.* idem valet de *que*, cuius usus exempla notavi haec: c. 98 (118, 10: *servus publicus .. harundinem subter lectum mittit, omniaque, etiam foramina parietum, scrutatur.* nam sic interpungendum est. neque enim servus publicus omnia foramina parietum, sed omnia, etiam foramina parietum, scrutatur.), 64 (76, 3: *et sane iam lucernae mihi plures videbantur ardere totumque triclinium esse mutatum*), 123 (166, 11: *arma, cruor, caedes, incendia totaque bella ante oculos volitant*).[19])

Denique particula *que* etiam locum habet in sententiis negativis. ac partim quidem, ubi *nec* vel *non* praecedit, per *que* negatio excipitur, ita ut *nec* pro *que* exspectemus. cf. c. 121 (160, 7) et 124 (171, 3). sed hic usus nisi in poeticis libri partibus non invenitur. aliis autem locis praecedente negatione *que* habet vim adversativam. cf. c. 108 (132, 12), 112 (140, 11), 119 (156, 4), 123 (165, 1), 125 (172, 5), 132 (185, 10), 140 (202, 18). apparet igitur hunc usum non statim post Livii tempora evanuisse, ut putat Draegerus (§ 314, 10).

### § 3. Ac. Atque.

Quoniam diu disputatum est, num *ac* locum habeat ante vocales et litteram h, id breviter praemittam in Petronii libro *ac* nunquam poni ante vocales vel ante consonas h c g q. *atque* autem non ponitur nisi ante vocales et ante consonas c et h.[20])

---

[19]) Quod Draegerus (§ 311, 5) huc pertinere putat locum c. 2 (4, 8: *Pindarus novemque lyrici*) falsum videtur, quia Pindarus non unus e novem illis lyricis est, sed novum praeter eum fuerunt. spectant autem verba *Pindarus novemque lyrici* ad verba *Sophocles aut Euripides* in praecedente sententia, de quo usu cf. Spitta l. c. p. 32, 3.

[20]) Per se apparet excipiendos esse locos poeticos, ubi scriptor metri causa *atque* etiam ante consonas admisit. cf. c. 119 (155, 10), 124 (168, 13), 124 (169, 7). in pedestri oratione unum tantum locum

Quod attinet ad usum huius particulae, *atque* nusquam invenitur in libertinorum sermonibus.[21]) neque *ac* saepius, quam uno loco invenitur in iis partibus libelli, in quibus scriptor vulgarem adhibet usum dicendi. et hoc quidem loco *ac* non est particula copulativa, sed comparativa. cf. c. 42 (47, 3: *neminem nihil boni facere oportet, aeque est enim ac si in puteum conicias*). apparet igitur particulam *ac* vel *atque* ab hominibus rusticis illius aetatis rarissime usurpatas, sed magis nobiliori dicendi generi aptas fuisse, id quod etiam eo confirmatur, quod in iis nostri libri partibus, quae poetice scriptae sunt, certe non ita magnis *ac* vel *atque* tricies invenitur.

Notissimum est, per *ac* cum vi quadam transitum fieri ab altera re ad alteram. ac primum quidem in uno enuntiato per *ac* duae notiones inter se coniunguntur, quarum posterior gravior est, quam prior (cf. Hand. I 466, 8. Draeger. § 315, 3. Kuehner. II § 153, 4). cf. c. 2 (4, 4), 7 (10, 15, ubi inter *aeque* et *ac* nulla intercedit ratio), 24 (25, 14), 81 (96, 2), 74 (88, 9), 75 (89, 6), 111 (137, 5 et 6), 138 (201, 1), 112 (140, 12), 93 (112, 1), 126 (173, 17). clarissime autem haec gradatio indicatur c. 136 (195, 8), ubi Encolpius narrat: *tres anseres sacri .. impetum in me faciunt foedoque ac veluti rabioso stridore circumsistunt trepidantem.* videmus enim Encolpium ad vim verbi *rabioso* deleniendam *veluti* addere.[22])

---

inveni, quo *atque* positum est ante l consonam: c. 70 (83, 21). sed hic locus etiam aliis de causis mihi suspectus est.

[21]) In c. 59 (70, 10) Trimalchio dicit: „et tu, cum esses capo coco coco atque cor non habeas." sic enim codex exhibet. sed haec verba tam graviter corrupta sunt, ut maxime sit dubitandum, num *atque* hoc loco recte scriptum sit.

[22]) Ita illud quoque explicandum puto, quod legimus c. 29 (31, 6), ubi atriensis Encolpio interroganti, quas in medio habeat picturas Trimalchio, respondet: *Iliada et Odyssian ac Laenatis gladiatorium munus*, ex quo apparet *Laenatis gladiatorium munus* multi maioris momenti esse atriensi videri, quam *Iliada et Odyssian.* post illa verba in codd. sequuntur: *non licebat multaciam considerare nos iam ad triclinium perveneramus*, quae sic scribenda esse arbitor: *non licebat multa considerare nos, iam ad triclinium perveneramus.* saepius enim *iam* nulla addita coniunctione ponitur a Petronio, ubi causam alicuius rei indicat, pro *nam iam.* cf. c. 28 (29, 14) et c. 60

Aliis locis tota enuntiata cum maiore vi ad priora adnexa a particula *atque* incipiunt. cf. c. 52 (60, 10), 17 (19, 4), 123 (167, 13), 134 (188, 12), 119 (154, 7), 131 (181, 13), 127 (175 9). cf. Hand. I 484, 9. Draeger. § 315, 3 c. Kuehner. II § 153, 9.

Eadem gradatio nonnunquam exprimitur verbis *atque etiam*. Handius quidem (I 506, 13) hanc vim semper inesse in hac formula recte negat. sed tamen talem gradationem minime abesse a ratione utriusque particulae manifestum est. haec vis in *atque etiam* inest c. 35 (38, 7), 116 (148, 16), 134 (188, 14).

Neque tamen semper eam vim inesse in hac particula eo demonstratur, quod nonnunquam complures sententiae modo per *ac*, modo aliis particulis inter se coniunguntur, nullo intercedente discrimine. cf. c. 59 (71, 3: *que-ac-que*), 64 (76, 16: *que-atque*), 124 (168, 16: *et-ac*), 124 (170, 1: *et-ac*).

Etiam verba synonyma saepius per *atque* copulantur. cf. c. 54 (62, 9: *miseram atque infelicem*), 85 (101, 1), 89 (106, 8), 111 (138, 12), 114 (145, 15), 124 (168, 11), 134 (190, 6), 136 (195, 11). cf. Draeger. § 315, 7. [23])

Tum per *atque* etiam notiones inter se oppositae coniunguntur, ut *albis ac nigris* c. 33 (34, 15), *terras atque litora* c. 124 (170, 11), *hinc atque illinc* c. 32 (34, 5) et 49 (57, 4), *huc atque illuc* c. 37 (39, 16) et 101 (122, 14).

---

(71, 14, quanquam de hoc loco dubitari potest propter praecedentem lacunam) et in sermonibus libertinorum c. 44 (48, 12), 44 (49, 15), 45 (51, 4), 46 (52, 14). ceterum ne *nam iam* quidem scribere in loco certe corrupto nimis audax esset medela, nam hanc cacophoniam Petronium non semper fugisse docet c. 31 (33, 10) et 39 (42, 15).

[23]) Ita etiam locus videtur explicandus esse c. 137 (199, 6: *nec me fallebat inanes scilicet ac sine medulla ventosas nuces in summo humore consistere, graves autem et plenas integro fructu ad ima deferri.* iam Buechel. hac structura offendit, sed tamen mutare non vult, cum adnotet: *tripertito dividitur inanitas, tripertito statim plenitudo.* sed omissa intolerabili, ut mihi quidem videtur, tautologia structura tam inconcinna est, ut tale enuntiatum Petronio vix tribuerim. quare *scilicet sine medulla* et *integro fructu* pro glossematibus habenda et eicienda esse puto. *scilicet sine medulla* superscriptum erat ad explicandum verbum *inanes* et *integro fructu* ad explicandum verbum *plenas*.

Rarissime *atque* locum habet, ubi ad duas sententiae partes, quae nulla particula coniunctae sunt, tertia additur (cf. Draeger. § 315, 10. Kuehner. II § 156, 2). in Petronii libro unum tantum locum notavi eumque poeticum. cf. c. 124 (170, 7: *stabant irati scabra rubigine dentes, tabo lingua fluens, obsessa draconibus ora, atque inter torto laceratam pectore vestem sanguineam tremula quatiebat lampada dextra.*) — nec saepius invenitur *atque* coniunctum cum negationibus. (cf. Draeger. § 311, 4 b.) huius usus exemplum notavi c. 111 (138, 12: *ac nihil.*) — contra Petronius videtur amasse formulam *ac ne — quidem,* quae invenitur c. 2 (5, 5), 12 (14, 9), 17 (18, 10), 20 (22, 14), 26 (27, 12), 31 (33, 5), 73 (86, 15), 88 (104, 9), 108 (131, 12).

Saepius per *atque* adnectitur sententia, qua prior accuratius explicatur, ac plerumque quidem talis ratio inter eas intercedit, ut prior magis in universum dicta sit, posterior eam accuratius describat. cf. c. 12 (14, 4), 22 (24, 4), 112 (140, 7), 116 (147, 20), 136 (195, 9).

Sicut *et* et *que*, ita etiam *atque* locum habet inter duos imperativos. cf. c. 120 (159, 12), 121 (161, 2), 137 (198, 15), qui tamen loci cuncti in poeticis libri partibus inveniuntur.

Paucis deinde locis *atque* ponitur post *aeque* vel *pariter* vel *aliter*. cf. *aeque ac* c. 42 (47, 3, quo loco, quoniam comparatio intercedit non inter res revera factas, sed fictas, coniunctivus sequitur. de quo usu cf. Kuehner. II § 224, 5.), *pariter ac* c. 135 (192, 7), *aliter ac* c. 140 (202, 18).[24])

Duobus denique locis invenitur *simul atque*, sed utroque loco significat *ac simul* und zugleich. cf. c. 117 (150, 16) et 136 (196, 10).

Quae de usu particulae *nec* conscripseram, retinui et postea data occasione publici iuris faciam.

---

[24]) Eadem notio certe inest in *ac*, quod legitur c. 112 (141, 10: *commendaret ergo illa perituro locum et fatale conditorium familiari ac viro faceret.* Buechelerus inter *conditorium* et *familiari* putat *commune* intercidisse, et in edit. a. 1871 p. 77 adnotat: *contubernium flagitatur, nisi periit vocabulum.* sed de corruptela non cogitandum videtur. potest enim etiam *ac* solum cum vi comparativa poni pro *aeque ac,* cuius usus exempla attulerunt Hand. I 472, 16, Kuehner. II § 153, 6 n. 3.

## § 4. Sed.

Quod Handius (I 425, 8) docet *at* indicare rem contrariam aut contra oppositam, *sed* non opponere, sed secernere et apponere id, quod distinguendum videatur, in universum certe recte observatum est, sed id, quod maximum inter has duas particulas intercedit discrimen, distinctius indicavit Keilius (Observatt. critt. in Propert. diss. Bonn. 1843 p. 41 seqq.) docens in *sed* plerumque inesse vim corrigendi, ita quidem, ut, quod in praecedente sententia dictum sit, non prorsus tollatur, sed accuratius definiatur. ex hac primitiva particulae vi pleraque, quanquam non omnia, usus genera explicari possunt. restant enim nonnulla, ubi liberior usus statuendus et primitiva vis tam occulta est, ut nisi violenta et artificiosa interpretatione eam elicere nequeas. ut primum pauca simplicis corrigendi et accuratius definiendi usus exempla afferam, cf. c. 128 (177, 11: *dic, Chrysis, sed verum*), 133 (186 13: *narra mihi, frater, sed tua fide*), 30 (32 15: *vestimenta . . Tyria sine dubio, sed iam semel lota*), 32 (34, 8), 83 (99, 5).

Per se autem apparet saepius notionem aut sententiam, qua alteram corrigimus, huic quodammodo oppositam esse. primum saepius, postquam diutius de aliqua re dictum est, per *sed* haec res iam omittitur et ad aliam transitur. (cf. Draeger. § 333, 4. Kuehner. II § 162, 2) cf. c. 17 (19, 9), 89 (105, 5), 91 (110, 13), 115 (147, 6). similes sunt loci c. 81 (96, 18: *amatores . . derident solitudinem meam. sed non impune. nam* etc.) et c. 95 (115, 3: *fugere voluistis. sed non impune. iam enim faxo sciatis* etc. hunc locum Apuleius videtur in mente habuisse, cum in metam. I 25 scribat: *sed non impune. iam enim faxo scias*). — hic transitus saepe ita fit, ut, qui loquitur, se aliquid facturum aut dicturum esse indicet. cf. c. 4 (7, 4: *sed . . effingam*). nonnunquam autem is, qui loquitur, enuntiato a *sed* incipiente vel se ipsum vel alium quendam aliquid facere iubet. cf. c. 48 (55, 15: *sed narra tu mihi*), 67 (79, 12: *sed narra mihi*), 69 (82, 4: *sed tace, lingua*), 75 (89, 16: *sed vivorum meminerimus*), 101 (123, 4: *sed finge*), 102 (124, 10: *sed finge*).

Aliis locis a *sed* incipit parenthesis. cf. c. 61 (72, 22, ubi

omnia usque ad p. 73, 4 in parenthesi dicuntur vel potius, si vis, ordo sententiarum paucis enuntiatis intermissis interrumpitur. nam verbis *huius contubernalis* redit oratio ad *Melissam Tarentinam*). aut per *sed* parenthesi intermissa redit is, qui loquitur, ad id, quod antea dixerat. cf. c. 62 (73, 16: *sed, quod coeperam dicere*), 65 (78, 11: *sed tamen suaviter fuit*) 75 (89, 21: *sed, ut coeperam dicere*). cf. Kuehner. II § 162, 2.

Notissimum est *at* saepe in initio eorum poni, quae contra ea, quae praecedunt, dicuntur, ita ut ab collocutore aliquo dicta videantur. eodem modo, quanquam multo rarius, etiam *sed* usurpatur. cf. Draeger. § 333, 3. Kuehner. II § 162, 3.[25]) cf. c. 75 (89, 13), 114 (145, 1).

Nonnunquam per *sed* iis, quae dicta sunt, additur dictum generale, quod fere in proverbium abiit, ut causam, cur aliquid factum sit, addat. cf. c. 45 (51, 10), 45, (51, 14), 42 (47, 1), 42 (47, 3), 108 (132, 9). omnes hi loci partim in partibus rusticis, partim in poeticis occurrunt.

Manifestum est omnibus his locis vim corrigendi inesse in *sed*, aliis autem haec significatio non tam clare intellegitur. usurpatur enim ad duas res inter se opponendas, quae significatio posterioribus temporibus magis magisque in usu esse coepit. ita vel sententia sententiae, vel pars parti, vel persona personae opponuntur, cuius usus exempla afferre non opus est.[26]) clarius etiam haec opponendi vis elucet, si in praecedente sententia *quidem* praemissum est, cui *sed* respondet. nec

---

[25]) Cur illi tamen Seyfferti (schol. lat. I 138, 2) artificiosam explicationem secuti sint, non intellego. haud raro enim, imprimis apud scriptores recentioris aevi, *sed* et *at* plane eodem modo usurpantur, quod optime demonstratur certis quibusdam formulis, in quibus *sed* et *at* aeque locum obtinent. ita *in colloquiis, in quibus aliquid concessum erat, per at condicio adicitur, quae rem maioris momenti indicat, aut id, quod diligentius animadverti aut instantius mandari volumus*. cf. Hand. I 436, 9. eodem modo *sed* usurpari intellegitur locis iam supra allatis, c. 129: *dic, sed verum* et c. 133: *narra, sed tua fide*. itemque et exclamationes et minationes a *sed* et ab *at* incipiunt, cuius usus infra exempla dabimus.

[26]) *Sed* ita usurpatum nonnunquam nostrum trotzdem proxime attingit. cf. c. 43 (48, 4), 44 (49, 3). respiciendum tamen est omnes hos locos in iis partibus inveniri, in quibus libertini colloquuntur.

minus saepe praemissa negativa sententia, qua id, quod non factum est, indicatur, per *sed* sequitur id, quod re vera factum est, ita ut aptissime nostro sondern respondeat. sed hic quoque particulae usus apud omnes omnium temporum scriptores tam saepe invenitur, ut non opus sit exempla colligere. id tantum adnotabo, quod iam Draegerus (§ 333, 1 a) commemorat, negativa sententia praemissa *sed* c. 1 (3, 9 seqq.) quater anaphorice repetitum esse, de quo usu Madvigius ad Cic. de fin. II 14, 45 p. 223 ed. II haec adnotat: *rara apud Ciceronem haec particulae sed anaphora . . non solum apud poetas, Ovidium maxime, sed etiam apud Tacitum, Senecam eiusdem aetatis alios, qui vehementem et, ut ita dicam, motoriam orationem sectabantur, frequens est.* Petronius Encolpium contra Agamemnonem rhetorem ita declamantem facit.

Sicut *at*, ita etiam *sed* locum habet in exclamationibus et interrogationibus, quae vim exclamationum habent. cf. c. 38 (42, 6) et 44 (49, 13).

Liceat mihi hoc loco addere *ceterum*, quod cum adversativa significatione usurpari dudum intellectum est, etiam a Petronio saepius pro *sed* vel similibus particulis adversativis poni. ac primum transitus fit particula *ceterum* ad aliam eamque oppositam rem, plerumque tamen ita, ut ea res, quae additur, paulo minoris momenti et quasi in parenthesi addita esse videatur. vertitur his locis aptissime nostro uebrigens aber. cf. c. 15 (17, 8), 30 (32, 6), 46 (53, 4), 53 (61, 21), 71 (84, 27), 90 (109, 12), 112 (140, 3). saepius etiam ponitur, ubi ab una persona, de qua antea narratum est, ad aliam transgreditur oratio, ac semper persona ipsa statim post *ceterum* legitur. cf. c. 29 (30, 10: *ceterum ego*), 52 (60, 7: *cet. laudatus Trimalchio*), 57 (66, 7: *cet. Ascyltos*), 104 (126, 15: *cet. Lichas*), 110 (136, 6: *cet. Eumolpos*), 112 (141, 2: *cet. delectatus miles*), 113 (142, 13: *cet. Tryphaena*), 125 (172, 6: *cet. ego*). — deinde locum habet, ubi oratio digressione facta redit ad propositum. cf. c. 31 (33, 12), 40 (44, 10), 63 (75, 16), 72 (86, 7), 76 (90, 5), 100 (121, 8). — denique etiam si in praecedente sententia *quidem* praemissum est, *ceterum* pro *sed* ponitur. cf. c. 105 (127, 20) et 118 (151, 6, ubi tamen *quidem* cogitatione supplendum est, nisi in corrupto capitis 118 initio excidit).

## § 5. At.

Quod primum attinet ad formam particulae *at*, semel invenitur *ast*, c. 99 (119, 20: *incultis asperisque regionibus diutius nives haerent, ast ubi aratro domefacta tellus nitet, dum loqueris, levis pruina dilabitur*). neque dubitandum est de scriptura (quanquam Draegerus § 334 in. hanc formam apud prosaicos scriptores recentioris aevi inveniri negat), quia haec forma aptissima est tumidae orationi illius loci (cf. Buecheleri adn. ad h. l.). recte H. Jordan (Krit. Beitr. z. Gesch. d. latein. Spr. p. 290 seqq.) de usu particulae *ast* disputans demonstrat inde ab aevo Augusteo eam non inveniri nisi in sollemni poetarum sermone et apud eos scriptores, qui hunc sermonem imitentur. ita noster quoque locus recordatione alicuius loci poetici videtur ortus esse, praesertim cum formula *ast ubi* saepius talibus locis usurpetur. (cf. Jordan p. 297. Senec. trag. ed. Leo I 214 seqq.)

Primum particula *at* inservit gravi oppositioni duarum rerum aut sententiarum. cf. c. 93 (112, 2), 99 (119, 20), 135 (193. 4). interdum vis coniunctionis adiecta particula *contra* etiam augetur. cf. c. 124 (168, 17. cf. Hand. I 424, 7. Draeger. § 334, 2). multo levior est oppositio, si duae personae contra potius ponuntur, quam opponuntur (cf. Hand. I 420, 1. Draeger. § 334, 3. Kuehner. II § 163, 2). in tali ratione saepissime occurrit formula *at ille* vel *at illa*. cf. c. 51 (58, 5), 62 (73, 14), 90 (109, 2), 111 (138, 14), 135 (192, 6), 140 (203, 20).[27]) — rarius *at* particulam sequuntur prononina personalia, ut *at ego* c. 83 (99, 1) et 92 (111, 18); *at nos* c. 88 (104, 4). aut sequuntur substantiva appellativa, ut c. 112 (141, 6). ter Petronius in tali condicione usurpat formulam *at non*, quam Burmannus (p. 602) appellat *sollemnis elegantiae formulam*. sed etsi non ita sollemnis est, tamen non sine vi quadam hanc negationis formulam usurpatam esse manifestum est. cf. c. 49 (57, 1), 98 (118, 8), 113 (142, 7).

---

[27]) In c. 72 (86, 6) legimus: *et Giton quidem iam dudum se ratione acutissima redemerat a cane. quidquid enim a nobis acceperat de cena, latranti sparserat. at ille avocatus cibo furorem suppresserat.* hoc loco *at* ineptum esse iam Heinsius vidit et bene correxit: *ita* i. e. dadurch, quod miror Wehlio et Buechelero minus placuisse.

Saepius etiam per *at ille* introducitur id, quod alter alteri respondet. (cf. Hand. I 424, 6. Draeger. § 334, 4. Kuehner. II § 163, 3. Draegerus falso videtur putavisse omnino non plura huius dicendi usus exempla inveniri, quam ea, quae Handius l. l. affert, sed in uno Petronio decies invenitur.) cf. *at ille — inquit* c. 8 (11, 4), 9 (12, 1), 36 (39, 11), 52 (60, 1), 86 (102, 1), 87 (102, 11), 131 (182, 1), 137 (197, 7); *at ille* omisso verbo dicendi c. 41 (45, 1). paulo aliter autem res se habet c. 80 (94, 8) et 115 (146, 3), ubi noster more suo dicit: *at ille .. gladium strinxit et .. inquit* et *at ille .. excanduit et .. inquit.*

Handius (I 431) docet: *at dicitur, ut sententia antea proposita reprimatur, alia contraria sententia obiecta. significat igitur contra, immo, im Gegentheil: et saepe ponitur pro simplici negationis formula nein, qua lingua latina caret.* ita Petronius scribit c. 74 (88, 10: *ambubaia non meminit? .. at inflat se tanquam rana*). — etiam in exclamationibus et minationibus *at* locum habet. cf. c. 58 (68, 7, siquidem hoc loco Buechelerus corruptam scripturam recte intellexit et emendavit scribens: *bene nos habemus; at istic euge! qui tibi non imperat*) et 69 (81, 20: *at curabo, stigmam habeat*). cf. Kuehner, II § 163, 11.

Restant denique nonnulli loci, quibus *at* cum alio vocabulo ad unam certam formulam coniunctum est, ut *at reor* c. 122 (164, 1), quam Handius formulis *at credo* et *at puto*, de quibus I 437, 10 exponit, addere potuit. deinde *at nunc* c. 109 (135, 3). cf. Hand. I 448. porro *at enim* c. 107 (130, 8) et 115 (147, 10), a qua formula id incipit, quod contra aliam sententiam dicitur, ita tamen, ut altera sententia non prorsus tollatur, sed id unum contenditur concessa alia re hoc contra dici posse. quare facillime explicatur vis enuntiati additis verbis *dicat quis.* cf. Hand. I 432, 3 et 446, 2. Draeger § 334, 10. Kuehner. II § 163, 9. Beck p. 145.

## § 6. Autem.

Quod iam supra in aliarum particularum usu describendo saepius dixi recentioris aevi scriptores, et inter eos Petronium, in usu quarundam particularum, quibus similis inest significatus, non ita accurate observare discrimina, idem etiam de particula

*autem* monendum est. initio enim *autem* vim habebat distinctivam, ita tamen, ut discrimen indicando non separaret et removeret (ut *sed*), sed componeret et continuaret (cf. Hand. I 558—560). quod quidem recentiores scriptores saepius neglexerunt. ita nonnunquam, postquam in praecedente sententia *quidem* positum est, sequitur *autem*, ubi *sed* exspectares. cf. c. 79 (94, 4), 19 (21, 9), 140 (203, 4). ac plerumque in praecedente sententia legitur formula *et .. quidem*. cf. c. 29 (30, 14), 48 (55, 9), 74 (87, 21), 92 (111, 12), 96 (116, 7), 114 (144, 15), 115 (147, 18). rariores sunt loci, quibus in praecedente sententia *quidem* supplendum est. cf. c. 10 (13, 5: *hodie .. non perdamus noctem, cras autem .. et habitationem mihi prospiciam et alium fratrem*) et 137 (199, 6: *nec me fallebat inanes ac ventosas nuces in summo humore consistere, graves autem et plenas ad ima deferri*). cf. Hand. I 580. Draeger. § 335, 3.

Saepissime *autem* locum habet, ubi duae personae leviore vi sibi opponuntur. cf. *ille autem* c. 65 (78, 2), *Giton autem* c. 96 (116, 3), *alii autem* c. 73 (86, 21), *ego autem* c. 95 (115, 10). cf. Hand. I 561 et 574. Kuehner. II § 165, 3. — imprimis formula *tu autem* saepius usurpatur, si is, qui loquitur, ab alia ad aliam personam se convertit, sequitur autem aut interrogatio aut iussum. cf. c. 57 (67, 9), 58 (68, 1), 69 (82, 1), 75 (89, 20). cf. Hand. I 561.

Vis distinctiva prorsus fere sublata est, ubi per *autem* transitus fit ab alia ad aliam rem. cf. c. 17 (18, 7), 38 (41, 11), 39 (43, 7), 39 (43, 19), 44 (49, 5), 53 (61, 17), 60 (72, 7), 63 (75, 8), 98 (118, 13), 129 (179, 1), 64 (76, 13). cf. Hand. I 564. Draeger. § 335, 7. Kuehner. II § 165, 6. — ab hoc usu non semper acute segregari possunt ii loci, quibus particula *autem* adnectitur sententia, qua res quaedam describitur. cf. c. 16 (18, 1), 29 (30, 15), 28 (30, 7. et 9), 40 (44, 7), 62 (73, 18. cf. Hand. I 566). nonnunquam etiam pluribus partibus enumeratis ultimum idque gravissimum adnectitur particula *autem*. cf. c. 35 (38, 4. cf. Draeger. § 335, 6).

Nec minus saepe *autem* locum habet in parenthesi.[28]) cf.

---

[28]) Adnotandum videtur me notione *parenthesis* paulo magis in universum uti. nam non solum, ubi sententia in mediam aliam sen-

Hand. I 570, 10. Draeger. § 335, 8. Kuehner. II § 165, 6. et hanc quidem formam Petronius paulo liberius usurpat. uno enim loco excepto (c. 53 [60, 13]) ubique in parenthesibus explicatur, cur id, quod ante dictum est, factum sit, ita ut *autem* pro *enim* dictum esse videatur. qua re Schefferus permotus est, ut c. 48 (ed. Burm. p. 323) hanc causalem significationem particulae vindicet. quod quin falsum sit, nulla potest esse dubitatio, quoniam notiones harum particularum nullo modo inter se similes sunt, quanquam Handius (I 573, 15) videtur dubitasse. omnes loci, quibus *autem* pro *enim* videtur positum esse, in libertinorum dialogis inveniuntur, ita ut non tam acute singula verba premenda sint. sed tamen omnes facile explicantur, si in parenthesi ea dicta esse putes. sunt autem c. 43 (48, 2), 52 (60, 13), 56 (65, 10), 62 (73, 8), 43 (47, 18).[29]) porro in c. 38 (42, 7) parenthesi inserendae praemittitur formula: *scito autem.*[30]) denique etiam post parenthesin oratio

---

tentiam inseritur, *parenthesis* nomen aptum est, sed etiam, ubi una vel plures sententiae obiter et quasi in transcursu adduntur, post quas ad narrationem supra inchoatam redit oratio, brevitatis causa de *parenthesi* loquar.

[29]) Neque aliter res se habet c. 48 (55, 16), ubi Trimalchio Maecenatianus Agamemnonem rhetorem interrogat: *narra tu mihi, quam controversiam hodie declamasti? ego autem si causas non ago, in domusionem tamen litteras didici.* in parenthesi postremam sententiam dictam esse iam inde apparet, quod infra, postquam de duabus suis *bubliothecis* gloriatus est, per *ergo* ad eandem interrogationem redit. quare Handii explicatio huius loci, qui dicit opponi: *narra tu mihi — ego autem* (I 573) non minus falsam esse puto quam Schefferi. Buechelerus pro *autem si* scripsit *etiamsi* praeeuntibus Heinsio (*etsi*) et Wehlio (*etiamsi* p. 21). quae tamen coniecturae supervacaneae sunt, primum enim *autem* in parenthesi apte ponitur, tum *si* saepius usurpatur pro *etiamsi*. cf. c. 19 (21, 12), 62 (74, 12), 100 (121, 18), 107 (129, 19), 111 (139, 5), 114 (145, 7).

[30]) In c. 61 (73, 4) legitur: *itaque per scutum per ocream ego aginavi* (sic Buech. in ed. a. 1871 p. 39, 8 correxit. cod. habet *egi aginavi*, videtur tale quid scriptum fuisse, quale est illud Terenti [Hec. 686]: *egi atque oravi*) *quemadmodum ad illam pervenirem: autem in angustiis amici apparent. forte dominus Capuam exierat ad scruta scita expedienda.* certe ante *autem* vocabulum excidit, nam *autem* primo loco positum Petronius ne libertinis quidem tribuerit. quare Buechelerus (in ed. a. 1871) scripsit: *veri autem* etc. nonne

per *autem* ad id, quod ante dictum est, redit. cf. c. 45 (51, 7) et 43 (47, 17). cf. Hand. I 569, 9. Draeger. § 335, 9. Kuehner. II § 165, 6.

Variae sunt significationes particulae *autem* in interrogationibus usurpatae, quas egregie distinxit Handius (I 574 seqq.) et eum sequens Draegerus (§ 335, 10). Burmannus ad c. 58 (p. 379) adnotat: *inservit haec particula aliquoties apud comicos graviori et concitatae orationi.* sed hanc vim non apud comicos tantum inesse in hac particula exempla docent, quae Handius l. c. attulit. ac primum quidem *autem* indicat interrogantis impetum et vehementiam, sive ea ab admiratione proficiscitur, sive ab indignatione et iracundia, maxime in reprehensione. cf. c. 45 (51, 10) et 95 (114, 20). idem fere est sensus in eis interrogationibus, quibus is, qui interrogat, vel alium vel se ipsum reprehendit. cf. c. 100 (120, 12). tum haec interrogandi forma usurpatur, si quis accuratiorem rei considerationem postulat. cf. c. 50 (57, 13), 56 (65, 1), 101 (122, 8), 132 (185, 13), 140 (204, 6).

Restat, ut breviter commemorem eos locos, quibus *autem* cum alio vocabulo in unam quasi notionem coniunctum est. ita c. 50 (58, 1) *nunc autem* legitur, praemisso enuntiato condicionali (*si*), ita ut eadem forma oriatur atque Graecum *εἰ μὲν νῦν δέ*. (Hand. I 582, 5). duobus locis invenimus formulam *ecce autem*, quibus res improvisae narrantur. cf. c. 60 (71, 10) et 88 (99, 3).

De collocatione particulae pauca addenda sunt. plerumque secundo enuntiati loco ponitur, sed tamen apud omnes fere scriptores etiam tertio sententiae loco invenitur, si inter duas primum voculas artior intercedit ratio, ita ut diiungi nequeant. velut primum ubi sententia incipit a nomine cum praepositione coniuncto, *autem* etiam a Petronio haud raro tertio loco ponitur. cf. c. 28 (30, 7), 35 (38, 4), 39 (43, 7), 44 (49, 5). aliter res se habet c. 43 (48, 2: *facile est autem*) et 50 (57, 13: *quid est a.*). quoniam enim verbum *est* a Romanis, imprimis si

excidit: *scito ante autem*? quod quidem facile fieri potuit propter praecedentia et sequentia verba *scutum, scruta, scita.* cf. c. 38: *scito enim, sociorum olla male fervet* etc. c. 76: *scitis, magna navis magnam fortitudinem habet.*

vocabulum antecedens in vocali aut littera m desinebat, *st* pronuntiatum est, his locis *autem* re vera secundo loco positum est. — restat unus locus, ubi etiam in Encolpii sermone *autem* tertio loco ponitur, c. 140 (204, 6). sed ibi ad orationem tumidam ac sollemnem potius, quam ad liberiorem ac neglegentiorem referendum est. eo enim, quod *autem* tertio loco ponitur, accuratissima oritur singulorum membrorum responsio totiusque enuntiati concinnitas, quam scriptor hoc loco aperte affectavit. legimus enim: *unde plani autem, unde levatores viverent, nisi aut locellos aut sonantes aere saccellos* e. q. s.

## § 7. Tamen.

*Tamen* particulam Petronius persaepe usurpat (70 locos notavi), et omnino apud scriptores recentioris aevi, ut Quintilianum, Senecam, Tacitum, saepius videtur inveniri, quam in prioribus. ponitur enim a Petronio ut infra videbimus, etiam, ubi ab aliis scriptoribus plerumque aliae coniunctiones adhibentur. ac primum quidem saepissime indicat graviorem duarum sententiarum oppositionem, ita tamen, ut prior vim habeat concessivam, posterior adversativam. cf. c. 33 (35, 7), 42 (46, 12) multa alia. haud raro notio concessiva in sententia antecedente particulis concessivis indicata est, velut particula *etsi* c. 15 (16, 17) et 125 (172, 9); vel *etiamsi* c. 71 (84, 9, ubi sic interpungendum videtur: *et servi homines sunt et aeque unum lactem biberunt. etiamsi illos malus fatus oppressit, tamen me salvo cito aquam liberam gustabunt*), 110 (136, 1), 126 (173, 16), 129 (179, 10); vel *si* pro *etsi* c. 48 (55, 17) et 107 (129, 19); vel *cum* c. 71 (85, 12). aut sententiae vel notiones particulis *quidem-tamen* diiunctae sunt, ut c. 20 (22, 10, ubi Buechelerus cum Heinsio in edit. a. 1871 scribit: *solus tantum medicamentum ebibisti?* sed tum insequens interrogatio parum apte per *itane est?* adnecteretur, quae formula ibi tantum apta est, ubi quid antea affirmatum, non, ubi interrogatum est.) et 127 (176, 3), et particulis *non quidem-sed tamen* c. 12 (14, 1). vis adversativa, quae iam per se magna inest in *tamen,* etiam adaugeri potest addita particula *sed,* ut c. 12 (14, 1), 65 (78, 11), 83 (98, 14), vel *nihilominus,* ut c. 108 (131, 15). cf. Hand. II 201, 5. — negativae formulae inveniuntur hae: *non tamen*

c. 111 (139, 1), *nec tamen* c. 47 (54, 6), 62 (74, 5), 81 (95, 11), 107 (130, 17), 107 (131, 18), 113 (143, 2).

Aliis locis, postquam res maioris momenti concessa est, particula *tamen* transducimur ad minorem rem, ita ut nostrum doch wenigstens sit. cf. c. 33 (34, 13), 35 (37, 9), 42 (46, 9 et 14), 45 (52, 5). sed non omittendum est omnes hos locos in sermone vulgari inveniri.

Persaepe autem *tamen* non tam vehementer opponit sententias, sed leviore tantum vi usurpatur, ita ut nostro indessen respondeat. cf. c. 49 (56, 17: *non fit mora, despoliatur cocus atque inter duos tortores maestus consistit. deprecari tamen omnes coeperunt*), 47 (53, 22), 72 (86, 3), 86 (101, 21), 115 (147, 13, ubi id indicat, quod ab alio contra dici potest. similis sententia brevi ante particulis usitatis *at enim* indicatur.) alia. — saepius porro per *tamen* is, qui loquitur, rem omittit, de qua antea dixit, et iam ad aliam transit, ita ut pari modo usurpetur atque *autem*. cf. 66 (78, 13: *dicam, si potuero; nam tam bonae memoriae sum, ut frequenter nomen meum obliviscar. habuimus tamen in primo porcum*), 41 (46, 1), 43 (47, 9), 51 (58, 1, ubi Trimalchio historiolam, quam orationi includit, per *tamen* incipit), 66 (78, 15), 66 (79, 1), 68 (81, 11), 76 (90, 8), 129 (179, 4), 130 (180, 15 et 16), 57 (67, 18). clarius etiam haec transducendi ad aliam rem vis intellegitur c. 31 (33, 10, ubi, postquam narratum est omnes Trimalchionis servos cantantes iussa facere, ita pergitur: *allata est tamen gustatio valde lauta.*)[31] et c. 75 (90, 2). quibus locis de adversativa vi certe cogitari nequit. similes sunt loci c. 66 (78, 13. Trimalchio ex Habinna quaerit, quomodo a Scissa *acceptus sit* i. e. quales fuerint cibi. tum Habinnas de aliis rebus incipit dicere, Trimalchio autem, cuius id unum interest, loquentem interrumpit

---

[31]) Hanc enim codicis H scripturam Buechelerus in edit. a. 1871 p. 20, 4 recte restituit, postquam in priore edit. Heinsii coniecturam secutus *tandem* scripsit. Boschius (in ed. Burm. p. 166) hoc loco *tamen* esse *tandem* contendit afferens locos, qui nihil valent. neque Nonii nugae, qui idem docet (p. 406. p. 471 ed. Quicherat.), maioris sunt momenti. sed non solum Nonius et Boschius tam mirum in modum erraverunt, etiam Goldastus (in edit. Burm. p. 849) idem docet.

quaerens: *tamen, quid habuistis in cena?*)[32] et videmus igitur illis temporibus hanc particulam saepissime sine ulla speciali vi usurpatam esse solum ad sententias inter se adnectendas.

Quinquagies *tamen* secundo sententiae loco ponitur, a qua collocatione ibi tantum recedit scriptor, ubi aliis de causis prohibetur. ita tertio loco legitur post nomen cum praepositione coniunctum c. 43 (47, 9), 48 (55, 17), 86 (101, 21), 100 (120, 15), 126 (173, 2); aut ubi aliis de causis duo prima enuntiati vocabula diiungi nequeunt. cf. c. 47 (53, 22), 72 (86, 3), 81 (101, 21), 111 (139, 1), 31 (33, 10). primo autem loco *tamen* novies legitur, sed semper in sermone vulgari. cf. c. 41 (46, 1), 42 (46, 12 et 14), 43 (47, 19), 57 (67, 20), 66 (78, 13), 71 (84, 9), 71 (85, 12), 75 (90, 2). praeterea Buechelerus c. 125 (172, 9) secundum editiones Patissonii et Tornaesii ita scripsit: *ceterum ego, etsi .. impleveram putabamque .., tamen saepius tam consuetudinem meam cogitabam quam causam.* sed quoniam diversam illam collocationem casu factam esse non verisimile est, minime dubito, quin cum optimo cod. L *tum* pro *tamen* restituendum sit.

## § 8. Atqui. Verum. Vero.

*Atqui* bis in Petronii libro legimus: c. 67 (79, 15: *„atqui" respondit Habinnas „nisi illa discumbit, ego me apoculo"*) aperte ita usurpatum est, ut exponit Handius (I 519, 9): *in colloquiis utuntur hac formula ii, qui alterius sententiam arripiunt et per eam concessam ad aliam suam transgrediuntur. quare vis particulae saepe explicari potest per wohl denn, gut.* alter locus est c. 117 (149, 2). sed hic tam corruptus est, ut certo de eo iudicari non possit.

*Verum* ter invenitur apud Petronium. primum c. 88 (104, 1: *verum ut ad plastas revertar*), ubi hac particula reditus fit ad rem propositam. deinde c. 80 (94, 24: *qui ne deliberavit quidem, ut videretur cunctatus, verum statim .. consurrexit*), ubi oppositio fit sententia negativa praemissa. tertius denique locus, c. 43 (47, 19), corruptus est.

---

[32]) Cf. etiam quae similia exempla Schefferus et Burmannus ad h. l. adnotaverunt, in ed. Burm. p. 428.

*Vero* particulam sedecim locis notavi. principalis significatio est affirmativa, cuius exempla sunt c. 97 (118, 6), 87 (102, 15), 72 (85, 21). deinde nonnunquam vim verbi praecedentis auget, ut c. 100 (120, 16: *immo vero*), et c. 19 (21, 16) et 123 (165, 8), ubi legimus *tunc vero* i. e. damals erst recht. (cf. Nipperd. ad. Tac. ann. IV 17. p. 270 ed. VI.), et c. 83 (98, 6: *iam vero.*) — interdum in *vero* inest etiam vis levioris oppositionis. cf. c. 29 (30, 19), 32 (34, 6), 47 (54, 16), 97 (117, 20), 116 (148, 14). quae vis adversativa saepius tam levis est, ut *vero* fere nihil aliud sit quam particula transeundi ab alia ad aliam rem. cf. c. 37 (40, 8). vis autem adversativa etiam ibi statuenda est, ubi *vero* cum temporali coniunctione *ut* coniunctum est. cf. 17 (18, 11, ubi *ut vero* certe multo aptius est, quam *ut ergo*, quod in aliis codd. legitur et a Buechelero acceptum est), 62 (74, 10), 108 (130, 26).

### § 9. Aut. Aut-aut.

Quod Handius (I 521 seqq.) docet per *aut* rem ipsam contrariam et diversam ante oculos poni et significari, qualis ipsa sit, per *vel* ea, quae cogitatione tantum diversa essent, opponi, tam generaliter non recte dictum videtur. *aut* enim etiam usurpatur in exemplis afferendis, ut Handius ipse demonstrat (I 540, 7), quae tamen certe cogitatione tantum ponuntur. ita etiam in Petronii libro c. 2 (4, 6), 123 (166, 2), 126 (173, 8), 140 (203, 19); fortasse etiam c. 98 (119, 10: *utinam me solum inimicus ignis hauriret aut hibernum invaderet mare,* quanquam pro *aut* libentius *utinam* scripserim, quod ex codd. discrepantiis videtur eruendum esse. praeterea talis anaphora optime cum sermone pathetico et cum insequentis sententiae anaphora congruit.) et c. 109 (135, 2: *infelix, modo crinibus nitebas Phoebo pulchrior et sorore Phoebi,* ubi cod. L. exhibet *aut* pro *et*).

Primum *aut* ibi locum habet, ubi duae res ita inter se opponuntur, ut altera ab altera excludatur. cf. c. 116 (148, 19). quibusdam talibus locis sententia ab *aut* incipiente id indicatur, quod fiet, si aliud quid non factum erit, ita ut nostro sonst vel widrigenfalls respondeat (cf. Hand. I 538, 4. Draeger. § 343, 1a. Kuehner. II § 168, 2). cf. c. 109 (133, 8: *ut . . Encolpion nec . . insequeris, neque quaeres, ubi nocte dormiat, aut si quae-*

*sieris, . . numerabis,* ubi explicandi causa *si quaesieris* additur, supervacaneum certe, sed tolerandum, quia totum foederis documentum sollemniore modo narratur. [33])

Plerumque autem particula *aut* non oppositio, sed tantum diversitas quaedam exprimitur. cf. c. 111 (137, 3). ita hac particula interdum transitus fit a minore ad maiorem rem, quod non recte Handius (I 537, 3) negavit. cf. c. 1 (3, 12) et 118 (151, 7). saepius autem descendit oratio a maiore ad minorem rem. cf. c. 97 (117, 7). in tali verborum nexu nonnunquam *aut certe* invenitur. cf. c. 69 (82, 21) et 46 (53, 12). [34]) cf. Hand. I 535 et 537. Draeger. § 343, 1 c *α*.

[33]) Eadem significatio mihi videtur statuenda esse in loco corruptissimo ac vexatissimo, c. 58 (70, 2). sed paulo longius repetendum est. Hermeros libertus narrat ludimagistrum a discipulis quaesivisse, num id, quod imperavisset, fecissent. legitur in codice: *sunt vestra salva recta: domum cave. circumspicias. cave maiorem maledicas. aut numera mappalia. nemo dupondii evadit.* (cf. Wehlium p. 30) Buechelerus (ut priorum virorum doctorum coniecturas omittam) in edit. a. 1871 in universum recte ita scripsit: *sunt vestra salva? recta domum; cave circumspicias; cave maiorem maledicas. aut munera mapalia: nemo dupondii evadet.* sed quid est: *aut numera mappalia?* multae explicationes tentatae sunt, quarum alia artificiosior est, quam alia, neque ulla satisfacit. omnes explicationes id unum mihi videntur demonstrasse vocabulum *mappalia* hoc loco omnino explicari non posse. postulatur minatio vel mali quid, ut *evadit* habeat, quo referatur. quare scribendum esse puto: *aut numero vapula.* adverbium *numero* cum primum sit: nach dem Takte, eadem fere est sententia, ac nostra vulgaris: sonst kriegst du Pruegel nach Noten. cf. imprimis Fest. ed. Mueller. p. 372, 22 et Lorenz. ad Plauti Mil. v. 1400 R. p. 237. quod autem et *numero* et *vapula* nisi in antiquioribus scriptoribus non leguntur, minime offendere potest, quoniam in sermone plebeio saepissime antiquissimum quodque vocabulum per omnia tempora retinetur. tum Hermeros ipse pergit: *nemo dupondii evasit,* ut Wehlius recte coniecit pro *evadit.*

[34]) Legitur l. c.: *quod si resilierit, destinavi illum artificii docere, aut tonstreinum aut praeconem aut certe causidicum, quod illi auferre non possit nisi Orcus.* intellegitur hoc loco, qua auctoritate tum *causidici* fructi sint, cum *artificium tonstreinum et praeconium* maioris pretii libertino videtur esse, quam causidicum. sagacissime Studerus (p. 222) etiam ex hoc loco vidit concludi posse, quo tempore Petronius vixerit. nam ex Sen. apocol. c. 7 et 12 apparet causidicos Claudii temporibus maxime floruisse. (cf. etiam locos ex aliis

Perraro *minuitur et paene tollitur prorsus illa inaequalitas. quare componit saepe etiam ea, quae aequalia et unius generis sunt, et ea, quae synonyma esse videantur.* (Hand. I 540, 8). ita etiam in Petronio in carmine c. 14 (15, 8) legimus: *quid faciant leges, ubi sola pecunia regnat, aut ubi paupertas vincere nulla potest?,* ubi iam in cod. E *atque ubi* pro *aut ubi* scriptum est. sed hac mutatione non opus est.

Saepe invenitur *aut* in sententiis negativis, ita ut *aut* plerumque non negationem excipiat, sed ei quasi subordinatum sit. tamen inveniuntur nonnulli loci, quibus negatio per *aut* excipiatur, ita ut *nec* pro eo poni possit. sed hic usus est poetarum et eorum, qui sermonem poeticum imitantur. (Hand. I 543, 9) id etiam in locos Petronianos cadit. ita *non* praemisso legitur *aut* c. 61 (72, 22), 82 (97, 13), 114 (145, 14), 120 (158, 6), 124 (170, 17); post *ne* c. 78 (92, 6); post *ne-quidem* c. 88 (104, 9); post *nec* (i. e. et non) c. 110 (136, 11), 112 (140, 6), 123 (165, 13). cf. Kuehner. II § 168, 6.

Deinde *aut* in interrogationibus saepe ponitur. ac primum quidem duae sententiae interrogativae directae particula *aut* inter se coniunguntur, plerumque ita, ut in posteriore sententia accuratius interrogatio repetatur. cf. c. 13 (14, 20), 14 (15, 3), 17 (18, 14), 95 (115, 1), 100 (121, 14), 101 (122, 8), 107 (129, 16), 132 (185, 14), 134 (188, 7), 136 (197, 1), 122 (163, 18). indirectae sententiae interrogativae particula *aut* coniunguntur

---

scriptoribus desumptos, quos contulit Buechelerus in symb. phil. Bonn. p. 52 et 63). Studerus inde consequi putat Petronium hunc locum scribentem Claudii tempora spectasse, sed quomodo inter se congruunt, quod modo causidici artificium non tam bonum esse dicitur, quam tonstreinum et praeconium, modo puero Phileros causidicus ostenditur, quem aemuletur? in verbis *certe causidicum* corruptelam latere puto, quae fortasse tolli potest, si utimur fragm. VIII (p. 208) a Fulgentio asservato, qui scribit: *Tricerberi autem fabulam iam superius exposuimus in modum iurgii forensisque litigii positam, unde et Petronius in Euscion ait: Cerberus forensis erat causidicus. Euscion* personam esse debere Petronianam Buechelerus optime vidit, fortasse autem *Euscion* ex *Echion*, qui nostro loco loquitur, corruptum est nomen, et pro *certe causidicum*, quod glossematis loco superscriptum fuisse putaverim, *cerberum forensem* vestigium est genuinae scripturae. sed vereor, ne iam ludere magis videar, quam explicare, gauderem tamen, si quis difficultatem leviore remedio tolleret.

c. 105 (128, 14), 124 (171, 11), 124 (171, 13), 136 (197, 7). tum etiam singulae interrogationis partes vel membra per *aut* coniunguntur in forma directa c. 134 (188, 8), 48 (56, 2), 111 (139, 8), 117 (150, 13), 132 (185, 15), 82 (97, 6), in indirecta c. 111 (138, 5).

Falso legi *aut* puto c. 115 (146, 14), ubi codd. habent: *hunc forsitan in aliqua parte terrarum secura exspectat uxor, forsitan ignarus tempestatis filius, aut patrem utique reliquit aliquem, cui proficiscens osculum dedit.* quin *patrem . . aliquem* corruptum sit, nulla est dubitatio. Buechelerus in ed. a. 1871 p. 79, 26 scripsit: *filius aut pater.* sed num illud *ignarus tempestatis* aptum sit verbo *pater* vehementer dubito. fortasse *aut* errore librarii natum est, qui coepit scribere *utique* ante *patrem,* verbo *aut* enim omisso omnia plana sunt: *forsitan ignarus tempestatis filius patrem, utique* e. q. s.

Quod denique attinet ad locum, quem *aut* obtinet in ordine verborum, unum notavi locum eumque poeticum, quo secundo loco positum est, c. 82 (97, 13).

De *aut-aut* pauca dicenda sunt. usurpatur haec formula, ubi inter duas res aut absoluta intercedit disiunctio aut diversitas quaedam, cuius usus exempla afferre non opus est. ter repetitur *aut* c. 46 (53, 12). notione negativa praemissa *aut-aut* idem valet ac *nec-nec.* ita post *nihil* positum est c. 1 (3, 9); post *ne* c. 99 (119, 17), 117 (149, 15), 132 (184, 2). formula *neque-nec aut-aut* semel legitur c. 113 (143, 7). c. 114 (145, 8) legimus *vel-aut-aut,* ita tamen, ut disiunctio per *aut-aut* facta illi *vel* subordinata sit.

### § 10. Vel. Sive. Seu. Ve.

*Vel* primum ibi locum habet, ubi duae res levissima distinctione ponuntur, ita ut alteram ex iis eligere liceat, quare saepius sequitur *si* cum verbis *velle, malle.* cf. c. 47 (54, 8), 114 (145, 8), 109 (135, 3). eadem est significatio, si duplex forma ponitur, ut c. 99 (120, 5). plerumque autem *vel* alicui verbo maxime premendo additur, ita ut vim eius augeat, sicut nostrum sogar. cf. c. 18 (20, 6), 69 (82, 16), 79 (94, 10), 94 (113, 10), 98 (118, 20 et 23), 102 (123, 16), 117 (149, 21), 138 (200, 11) cf. de hoc usu C. F. W. Mueller in Fleckeiseni

annal. 1861 p. 262 seqq. — contra alio loco *vel* ad notionem minuendam adhibetur, ita ut nostro auch nur respondeat. cf. c. 13 (16, 3. cf. Kretschmann. p. 17).

*Sive* in duplici forma inter se respondente significat sei es dass — sei es dass. cf. c. 68 (81, 13), 79 (93, 19), 82 (97, 5), 126 (173, 3), 130 (180, 9), 137 (199, 5). sed Petronius hanc legitimam responsionis formam nonnunquam paulo insolentius commutat. ita legimus c. 5 (8, 7): *sive-seu-ve* et fragm. 50 (fortasse spurio) v. 8: *sive-seu-aut*. sed hae formulae non leguntur nisi in carminibus. Draegerus (§ 345, 3 b) nonnullos affert locos, ubi *sive-seu-ve* legitur, contra *sive-seu-aut* apud nullum alium scriptorem notatum inveni. — uno tantum loco *sive* semel ponitur inter duas eiusdem personae significationes, e quibus is, qui appellatur, aptiorem vel accuratiorem eligere potest. (cf. Kuehner. II § 220, 4 n. 7) cf. c. 9 (12, 3: *frater seu comes*).

*Ve* semel positum est c. 116 (148, 4) et 132 (185, 8). c. 109 (133, 3) *ve* et *aut* coordinata sunt, quanquam non inter se respondent (cf. Draeger. § 345, 3 a).

---

Sed iam finem faciam reliquamque observationum partem alia oblata occasione edam. intelleximus igitur, si quid video, Petronianum dicendi usum ne in partibus vulgaribus quidem tam vehementer a communi genere loquendi abhorrere, quam saepe et maxime prioribus temporibus viri docti putabant. iam Beckius et A. a Guericke diligentissime omnes vel voculas vel plebeias dicendi formulas, quibus alii offendebant, exemplis ex aliis scriptoribus allatis confirmaverunt. nec multo aliter res se habet in particulis et coniunctionibus. haud ita saepe enim quaedam usus genera notavi, quorum exempla ex aliis scriptoribus in libris, quibus usus sum, allata non erant, ac plerumque quidem talia in partibus vulgaribus leguntur. id autem maxime operam dedi, ut, quae varietates casu evenire poterant, ab iis seiungerem, quas consilio appetivisse videatur scriptor.

---

Iam liceat mihi in epimetro critico addere pauca coniectanea, quae in prioribus dissertatiunculae partibus proferre non potui.

In c. 41 (45, 3) codex exhibet: *hic aper, cum heri summa cenam vindicasset, a convivis dimissus.* primum, ut grammaticae rationi satisfiat, obiectum, quod vocatur, verbi *vindicasset* postulatur, quod quidem Buechelerus ingeniose restituit scribens: *cena eum.* tum post *dimissus* addenda est copula *est*, quod item iam a Buechelero factum est. idem adnotat: *cena eum scripsi, ut manumissionis metaphoram servarem; vindicaverat aprum summa cena, hoc est in extrema cena appositus erat.* si recte intellego hanc explicationem, haec est: *ordo cenae hesternae ita dispositus erat, ut in extrema cena etiam aper apponeretur. sed convivae iam saturi eum dimiserunt*, ita ut *vindicasset* ambigue dictum sit, cum significet *postulare* ac simul de manumissione cogitetur. sed hic lusus verborum nimis acute excogitatus et ab ingenio liberti inculti abhorrere videtur. fortasse, ut taceam de improbabilibus Schefferi et Heinsii mutationibus scribendum est: *cum herus heri summa cena eum indicasset.* nam si *summa cena* ablativum esse putamus, id quod mihi haud dubium videtur, desideratur subiectum. hoc autem, cum aperte *convivis* opponatur, aptissime datur significatione Trimalchionis. in coniunctione autem verborum fere eodem modo sonantium, ut *herus* et *heri*, minime offendendum esse iam supra p. 7 satis demonstravi exemplisque confirmavi. tum Trimalchio eos cibos, quos apponi iussit, semper ipse videtur indicavisse. in capite enim 47 (55, 2) e tribus subus unum designat, qui occidatur. et certe verisimile est Trimalchionem *lautissimum hominem* cotidie fere eosdem ludos ingeniosos conficere.

In c. 71 (85, 6) legimus: *et urnam* (ita iam J. Gronovius recte scripsit pro *unam*) *licet fractam sculpas et super eam puerum plorantem.* in hac sententia *licet* ineptum est. nec enim est concedentis vel permittentis hoc enuntiatum, verum iubentis. praeterea in omnibus prioribus sententiis, quibus Trimalchio monumentum suum describit, semper solo coniunctivo utitur, velut: *faciatur, facias, ponas, ducat.* quare hic quoque *sculpas* per se sufficere et *licet* in *scilicet* mutandum esse puto.

In c. 93 (112, 11) codd. habent: *nam si aliquis ex eis, qui in eodem synoecio potant, nomen poetae olfecerit, totam concitabit viciniam et nos omnes sub eadem causa obruet.* quid

est *sub eadem causa obruere?* aptius fortasse legitur: *sub eodem casu.*

In c. 125 (172, 14) codd. habent: *nempe rursus fugiendum erit et tandem expugnata paupertas nova mendicitate revocanda.* narrat Encolpios paulatim se et collegas e pauperibus divites factos esse. sed huic sententiae enuntiatum supra allatum aperte adversatur. nonne igitur *ubertas* pro *paupertas* scribendum est?

---

**Conspectus locorum, quos ipse emendare studui:**

| | |
|---|---|
| C. 9 (12, 10) cf. p. 27 n. 17. | C. 93 (112, 11) cf. p. 51. |
| „ 29 (31, 6) „ „ 32 „ 22. | „ 97 (117, 19) „ „ 26. |
| „ 41 (45, 3) „ „ 50. | „ 98 (119, 10) „ „ 46. |
| „ 41 (45, 12) „ „ 27 „ 17. | „ 104 (127, 2) „ „ 9 n. 8. |
| „ 46 (53, 12) „ „ 47 „ 34. | „ 115 (146, 14) „ „ 49. |
| „ 47 (55, 8) „ „ 26. | „ 115 (147, 17) „ „ 26. |
| „ 58 (70, 2) „ „ 47 „ 33. | „ 125 (172, 14) „ „ 52. |
| „ 61 (73, 4) „ „ 41 „ 30. | „ 127 (176, 1) „ „ 20 n. 13. |
| „ 71 (85, 7) „ „ 51. | „ 137 (199, 6) „ „ 33 „ 23. |
| „ 78 (92, 10) „ „ 4 „ 2. | Senec. apoc. c. 13 „ 23 „ 15. |

Omisi eos locos, quibus aut codicum scripturam aut prioris cuiusdam viri docti emendationem contra Bucchelerum defendere conatus sum.

# VITA.

Natus sum Joannes Didericus Nicolaus Segebade a. d. VII. Cal. Mart. a. h. s. LVIII. in viculo quodam ad Visurgim in magno ducatu Oldenburgensi sito, cui Elsfleth nomen est, patre Bernardo Diderico, matre Joanna e gente Wurthmanniana. patrem iam ante hos XX annos praematura morte mari mihi ereptum esse vehementer doleo, matrem adhuc superstitem esse laetor. fidei addictus sum evangelicae. litterarum primitiis in puerorum ludo imbutus gymnasium adii Oldenburgense, quod tum H. Kern, postea et etiam nunc H. Stein directore maxime floret. quod cum per V annos frequentassem, infirma valetudine studia interrumpere coactus sum. in hoc tempore otioso per unum annum iter confeci per Galliam, Britanniam, Indiam occidentalem, quae vocatur, tum mente atque corpore corroboratis ad studia pergenda redii et IV annis post maturitatis testimonium adeptus sum. quo instructus tempore paschali a. LXXVII. universitatem Jenensem adii, ubi scholis philologis, theodiscis, philosophis me docuerunt B. Delbrueck, R. Eucken, R. Gaedechens, H. Klopfleisch, E. Rohde, A. et M. Schmidt, E. Sievers, J. Volckelt. B. Delbrück, R. Eucken, R. Gaedechens, ut exercitationibus grammaticis, logicis, archaeologis interessem, benigne permiserunt. deinde uno anno peracto in academiam Berolinensem transmigravi, ubi scholis interfui C. Althaus, F. Harms, A. Huebner, A. Kirchhoff, A. Lasson, R. Lepsius, C. Muellenhoff, J. Schmidt, E. Schrader, H. a Treitschke, J. Vahlen, C. Wattenbach, A. Weber, E. Zeller. A. Huebner, A. Kirchhoff, C. Muellenhoff

benigne aditum facilem mihi paraverunt ad exercitationes philologas et theodiscas a se institutas. post duo semestria tempore paschali a. h. s. LXXIX. Halas me contuli ad perficienda studia mea. per haec tria semestria scholis me docuerunt G. Dittenberger, E. Erdmann, R. Haym, E. Hiller, H. Keil, G. Kramer, J. Zacher. Henrici Keil et Julii Zacher benevolentia mihi contigit, ut societatis philologae sodalibus per duo semestria et theodiscae per tria semestria adscriptus essem. praeterea seminarii philologi per tria semestria participavi exercitationes, per duo fui sodalis ordinarius. omnibus, quos commemoravi, viris doctissimis, imprimis B. Delbrueck, R. Eucken, R. Gaedechens, A. Huebner, A. Kirchhoff, C. Muellenhoff, H. Stein, J. Zacher optime de me meritis, omnium maxime autem H. Keil gratias et nunc ago et semper habebo maximas.

# THESES.

I.

E sermone vulgari, qualis in Petronii libro usurpatur, nihil certi de aetate scriptoris concludi potest.

II.

Lucian. *πῶς δεῖ ἱστορ. συγγρ.* c. 12 post verba *Ἀλεξάνδρου καὶ Πώρου καί* maior statuenda est lacuna.

III.

Senec. Apocol. c. 12 verbum *anapaestis* eiciendum est.

IV.

Arist. Ran. v. 340 verba *γὰρ ἥκει* delenda sunt.

V.

Arist. Ran. vv. 519 seq. iniuria ab Hamakero et Meinekio eiecti sunt.



3 2044 085 218 469